

RMr. III.

343.



Åra 15 Kör -  
Rosenthal L: - 278-905

Slab 3 Kör - 1245 msp i pell.

R.M.Jr.

III. 343.



2

De  
**C O M E T A R U M**  
SIGNIFICATIONE  
CL. VIRORUM  
*ANDREÆ DUDITII*  
*COMMENTARIOLUS,*  
&  
*D. THOMÆ ERASTI*  
*sententia.*

ELIAS MAIOR Vratislavensis  
denuò edidit, & adjecit  
Epsilon

Φέρεται ονόματος από την πόλην Φέρεται.



BRESLÆ,

Typis Baumannianis. Impensis Davidi  
Müller, Bibliopolæ Vratisl.  
Anno 1619.

VIRIS  
Magnificis, Strenuis, Nobilissimis, Amplissimis,  
Clarissimis, Excellentissimis, Consul-  
tissimis, Spectatissimis

Dn. DANIELI Heseler / in Wangern & Polockowis/  
Magnifici atq; amplissimi Senatus Vratislavien-  
sis SENIORI, & Namslaviensis Diœcœleos  
CAPITANO.

Dn. CHRISTOPHORO Hemtscher U. J. D. Ejusdem  
Reipub. Vratislavensis Syndico, ut & Ducatus  
Vratisl. & adjunctarum Diœcesium  
Procancellario superiori.

Dn. HERMANNO NIGRO U. J. D. quondam Pro-  
fessori Helmstadiensi, Cancellario Verdensi, Ol-  
denburgico, & civitatis Brunsicensis Syn-  
dico, nunc Vitebergæ in verera-  
bili senio degenti.

Dn. WOLFGANGO HIRSCHBACHIO, U. J. D. &  
in alma Viteberga Professori Codicis, Di-  
casteriiq; Electoralis, quod ibidem  
est, ASSESSORI.

Dn. ABRAHAMO SEILERO, in Hoffichin/ Incluti  
Ducatus Vratislavensis SECRETARIO,  
& SCABINO PRO-  
VINCIALI;

Dominis Patronis ac Fautoris  
bus meis magnis.

A MAGY. TUD. AKADEMIA  
VISVÁZÓ FERENC S. P. D.  
KÖNYVTÁRA.  
4204. sz.



DEDICATI.



UR hoc in tempore Clarissi-  
rum virorum Duditii & Erasti de  
Cometis Commentarium denuò  
edam, meumq; in eodem ge-  
nere  $\omega\delta\sigma\delta\omega\zeta\eta$  adjungam, ante omnia ra-  
tionem mihi reddendam censeo. Atq;  
occasione quidem præbuit is, qui ex-  
tremo anno superiore spectandus fuit,  
*Cometes*; cuius vim atque effectiōnem qui  
putat nullam fuisse aut esse, is ignorat  
scilicet, tot viros doctos & eruditos ab  
isto impulsos & quasi afflatos sidere, tot  
ingeniorum monumenta peperisse, quot  
jam in luce publica divulgatos videmus  
libellos, & forte deinceps videbimus.  
Quam quidem operationem libentiūs  
stellis crinitis adscripsero, quam eas vi-  
res, quas in interficiendis Regibus, in-  
evertendis regnis, in perturbandis reli-  
gionibus, iisdem, non ut signis tantum,

## D E D I C A T I O .

verūm etiam ut causis , plerique attri-  
buunt. De quorum opinione quid sen-  
tiendum sit, quia maximè hominum in-  
terest nosse; & verò in scriptis eximio-  
rum virorum, quos laudavi modò, *Dudi-  
tii & Erasti*, hoc ipsum non minus ele-  
ganter, quam doctè & vere declaratum  
est : à Cometâ illo me impelli facile  
passus sum , ut & labores hos istorum  
hominum,

--- *quos nec ventura silebunt*  
*Lustra, nec ignota rapiet sub nube ve-  
tustas,*

iterum publicandos ac formulis exeu-  
dendos curem, & meam dissertatiuncu-  
lam, *velut caudam quantillam clarissimo side-  
ri, (ita enim mihi nunc liceat loqui) an-*  
*nectam.* Etsi enim scio me non parem  
apud omnes initurum gratiam , apud  
eos præsertim , qui à suis sententiis fa-  
cile non desistunt: à veritatis tamen  
patrocinia, cuius amor tanti esse debet,  
ut favor, metus, & omnia ex altera par-  
te collocata, vix minimi momenti instar  
habeant, non recedendum duxi.

His

DEDICATIO.

His igitur missis, ad vos me converto, quorum præscripsi nomina, *Viri Magnifici, Strenui, Nobilissimi, Amplissimi, Clarissimi, Exellentissimi, Consultissimi, Spectatissimi; Patroni ac Fautores Magni:* Vobis hoc, quantumcunque est, quod in lucem nunc edo, dedico atque consecro, instigante me atque impellente ad hoc officii genus consideratione plurimum, beneficiorum, quibus me florentem voluistis efficere. Quæ beneficia, quamvis & tanta sint, ut nunquam

*Esse satis possum, præstem licet omnia,  
gratus:*

& tot, ut parvâ oratione dici nequeant: aliqua tamen ex iis, vel hanc ob causam mihi commemoranda sunt, ne eorum memoriam, quod ingrati homines atque improbi faciunt, delevisse oblivione videar. Ac ut à te HESELE-RE Magnifice atq. Amplissime exordiar, quis unquam ulli magis Numen fuit, quam tu mihi, si adagio illa vera est, homo DEUS homini? Evidem quoties de te cogito, toties gaudeo & beatum

DEDICATIO.

me prædico, immortaliq; gratias ago  
DEO, tantum quod mihi fauorem, &  
tam benevolum Patronum, vel Patrem,  
potius largitus fuerit. Non modo enim  
illud maximum judico, quod olim tibi  
innotescere, & apud te per ipsum trien-  
nium vivere potuerim: quandoquidem,  
ut in versu dicitur,

*Principibus placuisse viris, non ultima  
laus est:*

verum etiam de hac ingenti felicitate  
mihi gratulor, quod eo temporis spacio,  
quo in luculento liberali q; Tua Ampl. ho-  
spitio benignissime sustentatus fui, be-  
neficiis & numero infinitis, & magnitu-  
dine incomparabilibus affectus, præcla-  
ra tenuitatis atque inopia meæ adju-  
menta studiorumque subsidia commo-  
dissima, per meram Ampl. Tua munifi-  
centiam perceperim. Magnus hic favor  
fuit, magna benignitas, tanta que omni-  
nò, ut, si benè mereri de me desissem, Pa-  
trone maxime, nil, quod jure quererer,  
habuissem. Iam enim feceras, quod de-  
bueras. immò vero plus feceras, quam  
de,

## DEDICATIO.

debueras. verum non desit tua erga me benignitas; quin & cum Wiebergā, quam semper alteram meā patriam dicam, abiissem, auctoritate tua atque intercessione effecisti, ut inclatus hujus Vratislavia Senatus, stipendio largo annos quattuor & amplius studia mea in nobili illa Pietatis & Artium Officina, sustentaret. Quo vita Academica subsidio mihi si carendum fuisset, ubi nunc essem, qualis essem, nescio certe, nisi forte miserrimus, & qui doctioribus Musis longum vale dixerit. Nimirum prolixum foret, si recensendum esset, quo pacto favorem tuum mihi in patriam reverso, & scholasticum hoc saccum volventi exhibueris ac declaraveris. Uno proinde quasi verbo, & quæ huic pertinent, & reliqua omnia complectar:  
*Audiat Fides:*

*Major quicquid est, quicquid habet,  
HESLERO debet.*

Ad te nunc venio, HENTSCHERE,  
vir Dignitate, prudentia, eloquio florentissi-  
mus, cuius non possum auctoritatem,  
quæ

## DEDICATIO.

quæ maxima est, perpendere animo,  
quin simul incredibilem humanitatem,  
& erga litteras litteratosque benevolentiam  
intuear. adeo arcto nexu tuo in pectori  
hæc ornamenta colligata sunt.  
Ac de prolixo tuo erga Musas Musisque  
operatos affectu, tum alii dicent, tum  
nos potissimum, quibus in Schola pul-  
verem illum satis turbulentum devorandum  
est, restabimur. Reipsa enim experti  
sumus, te ejusmodi Mecoenatem patro-  
numque esse, qualem Poëta descripsit,

--- qui gravem

sortem levavit, nosq[ue], remq[ue] Musicam,  
Operaq[ue], consilioq[ue], regq[ue] juverit.

Quod si exponendum esset, quantopere  
me etiam speciatim complexus fueris,  
possem id tempus memoria repetere,  
quo mihi demandata fuit, quam etiam-  
num sustineo in hoc Gymnasio, historiarum  
professio. In quo negocio facile intelli-  
gere potui, à te meæ utilitatis atque or-  
namentorum rationem esse habitam.  
Possem & alia maximæ tuæ erga me co-  
mitatis indicia proferre: ex quibus illud  
mihi

D D I C A T I O .

mihi tacendum non est, quod hanc de  
Cometar̄ materialē concernit propriē.  
Cum enim pr̄sentes Commentatiunculas  
~~Amplissimo Senatus obtulisse~~ (quod  
omnibus faciendum est, qui hac in urbe  
libros typis publicis excudi cupiunt)  
tum cæteris in rebus affabilem & perbe-  
nigauim te mihi præbuisti, tum de duobus  
locis in Duditii Epistolis, in quibus negoci-  
um hoc Cometarum attingitur, quæq; huic  
præloquio adjuncta sunt, plusquam  
humaniter me monuisti: immo & tu-  
um librum, cum inde descripturus es-  
sem, mihi commodasti. Quæ omnia  
nisi ex singulari favore profecta esse  
agnoscerem, stultissimus; nisi te eo-  
dem nomine venerarer, ingratissimus  
forem.

Non minori sceleri me redderem  
obnoxium, si tuum etiam, *divine senex,*  
**HENRICE NIGER**, amore  
ac benevolentiam silentio præterirem.  
Prope enim rubore suffundor, cum re-  
cordor, me tantillum, studiosum paupe-  
rem, à tanto Doctore, tantis officiis functo  
viro,

## DEDICATIO:

viro, tantopere dilectum esse, ut mecum  
in eum sapissime sermonem venire non  
dubitari, à quā ne sales quidem alieni  
essent. Sed non corām tantum me com-  
plexus fuisti, quin absenti etiam te fave-  
re, praterquam quod *Hilscherus meus, Am-*  
*plissima Facultati Iuridica, que Witebergae est,*  
*A manibus, per litteras id mihi non semel*  
*significavit, donarium illud, mihi cha-*  
*rissum, loquitur. Biblia intelligo*  
*Tremellū; quæ quidem, si nihil exstet*  
*aliud eorum in me meritorum, facere*  
*possunt, ut tui, tuaque liberalitatis*  
*memor sim*

*dum spiritus hos reget artus.*

Eādem retinentia tuum quoque favo-  
rem, tuaque benefacta conservabo;  
**HIRSCHBACHI Clarissime;** de qui-  
bus cū mihi addendum sit aliquid, utas  
publice iis verbis, quibus ante quattuor  
annos in Epistola quadam privatim te al-  
loquebar. Ut enim nihil dicam de men-  
sa opipara, de habitatione commoda, de  
opportunitatibus aliis, quas cum singu-  
lari

## DEDICATIO.

lari rerum mearum emolumento in tuis  
ædibus in me quasi tuum filium gratis be-  
nignissimeq; contulisti: quanti putas me il-  
lud facere , quod tam eximiorum præ-  
stantiumque virorum , tam nobilium,  
tam eruditorum , tam politorum juve-  
num communitate & conversatione,  
per tuum beneficium frui mihi licuerit?  
O quam suavibus, quam doctis, quam  
prudentibus colloquiis , quam amici-  
fermocinationibus carere me oportu-  
isset, si *Hirschbachiana* caruisse mensa!  
Nunc vero & tuæ, Patrone atq; Altor libera-  
lusime , quæstiones inter epulas motæ,  
nunc *Dn. D. Nigri, Senis Prudentissimi, hi-*  
*storizæ, nunc Iohannis Leuberi, nunc Mau-*  
*ricii Barenwaldt / nunc M. Petri Syringii,*  
narrationes , disputationes , senten-  
tiæ, aliaque ad eruditionem, ingeniique  
& morum culturam spectantia , ani-  
mo occurrunt , magna quidem cum re-  
cordationis voluptate, sed & pari desi-  
derio. Felicem enim me putaverim,  
si vel semel in hac vitâ , quæ laudavi,

Musa-

DEDICATIO.

*Musarum Themidosq; lumina & columnas,  
conjunctioni videro; non videro saltem,  
sed & audivero. Salveant interim ista  
corcula, ubi ubi sunt, & tu, Excellentissime  
vir, in primis.*

Ad te tandem me recipio, SE ILE-  
RE spectatissime, quer multum amare  
atque observare debco, quod eo affectu  
& favore prosequi me pergis, quem  
anno illo nupero quo ædibus convi-  
etuque tuo suavissime pariter atque uti-  
lissem fruebar, multis beneficiis decla-  
rasti. Grata mihi ea fuere & sunt bene-  
ficia: sed non tam clara erit mea salus,  
quam pietas erit in referenda gratia  
jucunda, si modo referre gratiam po-  
tero. Quod quia nec tibi, nec reliquis,  
quos nominavi, Patronis ac Fautoribus  
meis polliceri habeo: tenuitatis enim  
sum conscius meæ: hæc dedicatio si-  
gnum sit atque indicium publicum, me  
& vestra omnium beneficia æstimare, &  
vos hoc nomine amare ac diligentissi-  
mè colere. Vestrum jam est, *Viri ac  
Patroni Magni*, hos commentariolos a

*Majo-*

DEDICATIOP

Majori vestro, sereno vultu, benigno animo, suscipere, cundemq; porro vestris prothymiis recreare, veltris misritis juvare: ita vos nunquam non colet & venerabitur. Valete feliciter. Breslæ Nonis Martiis Anni clo I<sup>o</sup> cxix.

Vestrarum Magn. & Ampl.  
& Excellen.

Observantissimus

ELIAS MAIOR VratisL.  
in Gymnasio Patrio  
Histor. Professor.

Ex

Ex Epistola  
ANDREÆ DUDITII,  
ad

Clarissimum virum Dn. D.  
WENCESLAUM RAPHALEM Vratisl.  
Physicum Oppavensem.  
*Quæ est numero xxviii. in Epistolis Me-  
dicinalibus a Laurentio Scholtzio  
editis.*

BOne Deus, quām multa sunt in  
naturæ thesauris condita, ad quæ  
hebetata mentis nostræ acies pene-  
trare nequit! *De Cometa* quām mul-  
ta, Aristotelis autoritatem secuti,  
blateramus passim; & tamen his di-  
bus didici ex proximo, & qui hunc  
antecesit, & Aristotelem, & qui eum  
sequuntur, longè à scopo aberrasse.  
*Supra Lunam fuit uterq;:* prior illæ  
proprio motu ab occidente in orien-  
tem: hic contra signorum successio-  
nem, ab oriente in occidentem fere-  
batur. Si ex fumosis exhalationibus  
pro-

procreantur, quomodo illæ lunam su-  
perant, & coelos penetrant? si supra lunā  
generantur: quomodo verum illud erit,  
*nihil ibi oriri, nihil interire? omnia esse aeterna?*  
& tamen hæc duo Φαινόμενα, & sidus illud  
mirificum, quot ante hos octo annos osten-  
sum nobis ad Cassiopeam fuit; & orta fue-  
runt, cum antea nullis unquam sacerulis  
visa fuissent, & interierunt: aut certe ex  
oculis nostris aliquò sublata sunt. Ubi  
antea in abysso thesaurorum Dei latue-  
runt? Non habeo, quid dicam cum hæc  
considero, nisi illud:

*O tæcas hominum mentes, o pectora cœca!*

*Qualibus in tenebris vita, quantisq; periclitis*  
*Degitur hoc ævi, quodcumq; est.*

Ut autem mecum certo credas hæc ita  
se habere, ut affirmo; scias de monstratum esse à Corn. Gemma, à Mastu-  
no, & aliis: in primis autem ab amicissi-  
mo meo & doctissimo viro Doctore Tad-  
deo Hagecio, minorem habuisse ~~lunam~~,  
quam ipsa luna. &c. Pratislav, xix. Ianuar.  
Ann. clo Ic Lxxxi.

Ex alia Epistola  
EIUSDEM AD EUNDEM.

Quæ numero xxx. est, ibidem,

**D**e fulminibus magna sunt, quæ scribis, &  
sanè mihi multò terribilia Cometis  
ipsis videntur: quorum ego eventus & signifi-  
cationes nondum eos esse perspicio, qui in  
illo meo scripto confutantur. Vides proxi-  
me lucentem, non siccitates attulisse, sed  
nimiam humiditatem potius. Pestem  
si ejus sobolem esse dices: quæram ex te,  
quo modo? ex aeris, inquis, putredine,  
aut potius ex putredine progenitis mu-  
taσμασι. Quid causæ est igitur, quod mul-  
tis locis, ubi majores fuerunt pluviae, &  
aeris intemperies, quam in Bohemia; nul-  
la tamen adhuc pestilentia sequitur? Sed no-  
lo hanc disputationem ingredi. &c. VRA-  
TISLAV. XXI. Aug. Anno ob Io LXXXII.

ANDREÆ DUDITII

DE

COMETARUM  
SIGNIFICATIONE

Commentariolus.

B

2



JOANNIS MICHAEELIS BRUTI IN ANDREÆ DUDITII V. C. Commentarium de Cometa, ad Amplissimum virum Nicolaum Mieleckium Palatinum, Poldeniensem.

## PRÆFATIO.

**H**imus, Amplissime vir, tuo nomini inscriptum, *Andrea Duditii*, summi hominis, atq; eruditissimi, *de stella crinita Commentarium*: quem ille elegantissima Epistola ad *Johannem Cratonem* est complexus, hominem cum multis aliis summae necessitudinis officiis illi conjunctum, tum omni genere doctrinæ reconditionis perpolitum. Multis verò nominibus

nibus doctis hominibus expetendum, emittere, hoc tempore in lucem constituius.

Nam & eo argumento est, ut multa doceat, quæ in primis conducant hominum vitæ, & iis est certus luminibus orationis, atq; ornamenti, ut magna eadem cum voluptate doceat. Itaq; cum ad usum, qui est maximus legentibus futurus, accedat voluptas par, id quod paucis usu venire animadvertisimus, & omnib. inscribendo propositum est, verè ille plane omne punctum tulisse videatur. Refutat enim vulgo mathematicorum vanitatem, qui magno populi orum incommodo, nimis injusto præmio levissimæ rei, inanem gloriam, & divinitatis opinionem apud imperitam multitudinem vennantur, iis prædicendis, quæ altè abdita in vastissimos divinæ mentis recessus obruit densa, & caliginosa nox. Qui quidem, tanquam parum male cum hominibus agatur, quibus sunt tot incommoda objecta, quæ illis vitam infestam redundunt, fames, bellum, pestis, morborum

gravissimorum funesta cohors , certam  
rationem excogitarunt , qua metu im-  
minentium malorum , ne quando misé-  
ris vacuum ullum tempus à doloris sensu  
sit , perpetuo , tristi cura anxii , torquean-  
tur , ut non solum castigandi videantur  
vehementius , qui , quod certum munus  
unius Dei immortalis est , sibi sumere au-  
deant prædicendi partes , quæ futura sint ,  
sed crudeles immanesq; habendi , qui mi-  
seros angant expectatione futuri mali :  
quod quidem si eventurum necessariò  
est , nullo cum compendio , certo animi  
angore antea norint , cum vitari , & præ-  
caveri cognitum nulla ratione queat . Sin  
ex eorum genere est , quæ non male in  
Philosophorum Scholis contingentia ap-  
pellantur , ne nosse quidem , Mathematico  
prædicente , possunt . Itaq; quod con-  
tendant , fore ex prævisis malis , ut se ho-  
mines aut ad ea ferenda cōstantius , aut ad  
ea cavenda , & declinanda intentiore cu-  
ra , animo comparent , totum hoc nihil  
est . Sive enim cum sapiente agitur , non  
ille ex Mathematici prædictione , sed ex

certa

certa ratione rerum humanarum, nihil quod accidere homini possit, non sibi æquissimo animo ferendum existimat: sive cum uno è multis, quem nulla adjuvat rationis vis, multò eum minus adjuvari, mali prænotione, si modo demus ullam esse, credendum est. Nihil igitur sapienti novum, inexpectatum, improvsum, cum quæ evenire possint, omnia nō secus, ac si præsentia adessent, habeat perspecta; ut nunquam imparatum offendant; in omni fortuna ita præparato animo, ut neq; eum secundæ res efferant altius, cum earum inconstantiam norit; neq; adversæ, mente dejectum præcipitem impellant; æque speret infestis, metuat secundis alteram sortem: at ex infima plebe, institor, cerdo, idem futor veteramentarius, pavida anus colu sibi in gynecæo victum parans, quid aliud commodi ex famis prænotione refert, quam ad cæteram mala, quibus jactat squalorem, fordes, egestatem, tristem futuri mali accessionem, cum in summa etiam vilitate anno næ, dies, noctesq; nendo, aut glomeran-

do, nihil præter famem quærat, qua fessa labore prandium condiat, aut coenam. Ergo tanquam gladius anceps, eandem, & præsentis mali sensus torquet, cuius depellendi nulla certa ratio est, & imminentis metus, cum nulla interea sit virtus, in tam imbecillo animo, quæ lenire metu percussum animum, & tanquam hostem infestissimum, dejicere semel loco potitum dolorem queat. Nam ejus est in vivendo perpetua mors, cui genethliacus, ex certo cœli positu, tanquam consulenti Apollinem Delphicum, aut naufragio, aut iœtu fulminis, aut casu ex celso loco, aut veneno, aut ferrœ, sollicito de vitæ eventu peritum respondet. Si-  
ve enim amnis trajiciendus, sive ascen-  
dendus mons, sive gravis tempestas, ter-  
ra, mari, domi, foris, opaco, apricotoco,  
obscunda, miserimus omnium homi-  
num, sibi adesse vitæ diem supremum  
putat: non exterios solum, sed domi suos,  
uxorem, liberos, parentes, amicitia sibi,  
ac propinquitate conjunctos homines,  
tamquam per eos inimica sors, fato in-

ex-

exorabili aperiat viam, suspectos sibi habendos existimans. Ac cum est semper animorum crudelis carnifex metus, tum est multò immanior, cum, quæ in uno sapiente vigeat, ratio non adest quæ doceat, quid verè timendum, à quibus rebus cavendum declinandumq; sit; quod imperiti homines haud facile noverunt. Ita, ne mediocriter quidem prudens, ejus sibi fortunam invidendam existimat, qui in summo fastigio omnium rerum habeat, quod certa adductus ratione pertimescat. Quam enim verè illa, & scite dicta à summo Poëta, de beato homine, cuius personam ne horæ quidem momentum potuit privatus sustinere?

*Districtus ensis, cui semper impia  
cervice pendet, non Sicula dapes  
dulcem elaborabunt saporem.*

*Non avium, citharaq; cantus  
sonnum reducent:*

Quid agat imbecilla ea mulier, cui, tamquam ex tripode fatidica anus, barbatus nescio quis ex trivio sapientis personam

ementitus, ad arma eentes reges, bellorum incendiis terrarum orbem, conflagraturum, annonæ caritatem de loco superiore canat, cum illi gravius fames metuenda sit, quam Dionysio Tyrannidis exactor. Quam temerè autem iis fidem multitudo habeat, atq; adeo, cum eam ab his maxime ratio abducit, multa documenta sunt, quæ prodigiosa, falsa, portentosa ita serio evenisse credit, ut iis contraria suadenti, & quæ maxime rationi consentanea sint, haud credat, sæpe exitium afferat; id quod & aliis accidit, majorum memoria, optimè de rebus hominum meritis, & Socrati olim, unipostnatos homines, omnium sapientissimo: ut qui hac nos peste liberare aggrediatur, quæ quo nos facilius fallat, religionis sæpe personam sumit, ei non secus, atq; *Herculi malorum depulsori*, aut *Iovi liberatori*, habendi divini honores, erigendæ aræ, sacerdotes, flamines, instituenda sacra anniversaria sint, quæ quidē, (si hoc modo de homine dici fas est) caste ac religiosè posteritas colat. Quæ glo-

gloria non ob id solum *Duditio* debetur, quod aliquando id agere cum paucis animum induxerit, sed quod adversus multorum consensum id agere, sed quod id agere eo tempore, cum docti homines scriptis multis editis adversus optimam causam, insitum hominibus errorem animis, cum nulla alia ratione liceret, tueri auctoritate haud sint veriti, quæ imperitis pro ratione est. Quos quidem ita facile *Duditius* patitur suo ingenio morigerari, ut eorum in se injustum odium deprecetur, quibus liceat, nulla sua offensione, quam malint sententiam tueri, quam malint oppugnare. Nam si quid inesse aculei in illius oratione videatur, à quo ne ipsi quidem nobis temperare potuimus, id totum eorum nequitiae, & petulantiae refutandæ est, qui imperitorum animos mendaciis multis circumveniendo, hinc pravitate ingenii, hinc multitudinis errore, ad injustum, atq; impium quæstum abutuntur: quorum per omnia fora circumversantium, & magnus semper numerus fuit, & nunc maxi-

maximus est. Ita cum multa alia sunt in  
*Duditio*, quorum singula, ut cætera absint,  
dignum eum immortalitate reddunt,  
tum unum est, quod in eo etiam, in quo  
omnia sint summa, majore cum laude  
excellat, quod & de tota hac ratione sen-  
tit præclare, & quæ præclarè sentit, ita  
persequitur dulci, atq; equabili stilo, ut  
non res magis de quibus scribit, cum  
haustæ sint e reconditoribus sapientiæ  
fontibus, eruditione summa, divina vi-  
ingenii; sint orationi ornamento, quam  
oratio rebus. Cum vero hæc de divina-  
tione opinio, à primis annis alte infixa a-  
nimo, vix tolli ullaratione queat, ita eam  
placide, ac sine ullo sensu evellit, ut non  
extorqueat vi, non rapiat invitum, sed  
trahat volentem qvō velit, & sua sponte  
seqventem, ubi ea legat, qvibus suscepit  
tam vanam superstitionem, ex homi-  
num coetu ac societate profligandam.  
Cujus hominis positi in amplissimo di-  
gnitatis gradu, nemo unquam magis hu-  
manitatem summam, comitatem, ama-  
biles mores, sermonis svavitatem admi-  
ratus

ratus est, qvam ego hoc tempore, cum  
se, tamq; vnam in portum tutissimum, ad  
privatæ vitæ otium recepit, animi ma-  
gnitudinem ijs contemnendis, sine qvi-  
bus, multis est vita invisa. Qvam virtu-  
tem tantam illa conseqvuntur, qvæ esse  
sine summa virtute haud possunt: Con-  
cors domus, matrona lectissima, in qua  
junctæ admirabilis nexu, nobilitas, qvæ  
est summa, morum elegantiam parem, e-  
legantia morum nobilitatem ornat, libe-  
ri in spem suscepiti patriæ virtutis conse-  
qvendæ, castissima educatio, qvæ exco-  
lat ingenii vim cum spe uberis proven-  
tus. Iam illa majora, in tranquillissimo  
otio semper vegeta mens, semper agens,  
& moliens aliquid, legendo, commen-  
tando, scribendo multa præclare: ut qva-  
si ex bene subacto & culto agro, ex ani-  
mo hinc confirmato usu rerum maxima-  
rum, hinc instructo ingenuis artibus, ii  
fructus in lucem proferantur, qvorum  
copia, & savitatem, ad veram gloriam, &  
ad spem immortalitatis, animi. alantur.  
Hinc in animi remissione voluptas qvæ-  
dam

dam amabilis , qvæ nunquam delectat,  
nisi cum est cum innocentia conjuncta:  
qvæ eadem tamen, & robori alendo , &  
tuendē valetudini conducit : lustrare a-  
grum; obire villas; nunc piscationi, nunc  
venationi operam dare ; nihil agere non-  
nunquam, in qvo plurimum tamen agi  
videatur; laboris intermissionem vol-  
uptas consequatur; voluptatem usus, ani-  
mus vegetior ad studia graviora efficia-  
tur. In qvibus qui ita versatur *Duditii*  
exemplo , ut procul ab hominum fre-  
quentia multa habeat, qvæ expensa vitæ  
hominum ferat , cujus rei causa memo-  
rat se hominem natum ; is verè vixisse,  
verè hominis munere in vivendo fun-  
ctus , in otio idem nunquam feriatus e-  
gisse, verè beatæ vitæ dulcem fructum,  
& svavem retulisse videatur. Etsi vero  
facit *Duditii* insignis moderatio , ut im-  
mensas animi, & naturæ dvitias, qvibus  
affluit totus, minus agnoscat, minusq; ob-  
id sibi placeat , qva in re habent multi  
vitæ fructum constitutum ; alit tamen,  
rectissimum animi judicium, unde hæc  
laus

laus manat, solida voluptas; ut ea, quibus  
fruatur, etiam si aliorum judicio sint  
summa, & vero merito illa quidem, præ  
iis tamen quæ sibi expetenda dicit, haud  
magni sibi facienda existimet. Sed de  
*Duditio*, quando ejus laudes Epistolæ non  
sunt, aliis erit dicendi locus. Qui qui-  
dem, ne hoc ipsum à nobis munus desi-  
deret, sua ipse virtute assequitur. Ut n.  
multa ejus exstant monumenta ingenii  
præclara, ita, id quod nos juvat sperare,  
plura in posterum exstabunt. Ex quibus  
nunc elegantissimā, & doctissimā hanc  
eandē Epistolam *de Cometa*; ut statim ab  
initio sumus præfati, tuo nomini inscri-  
ptam, clarissimo, atq; amplissimo, edi-  
mus, non uno quidem nomine, & quod  
quanti tu *Duditii* scripta omnia facias,  
magnus illius ingenii æstimator, & quan-  
ti ille te, prædictor suminus tuarum lau-  
dum, me non fugit: & quod hinc, tam-  
quam per certum pignus, me in te vo-  
luntatis observantiaq; declarandę, sum-  
ma mihi facultas datur: quę quidem tan-  
ti apud me est, quanti est apud omnes, de  
tuā

tua nobilitate , virtute , gravitate , constantia , magnitudine animi estimatio : ut cum iis sis ortus majoribus , de quorum gloria plurimum in posteritatem redundat , habeas tu cumulate , quibus eorum gloriam augens , posteris vix ullam spem reliquam facias consequendarum tua rum laudum , superandarum adimas omnibus . Ac summae quidem felicitatis fuit , ex eo te parente nasci , ex quo esset credendum , tantum te filium , quantum te nunc videmus , evasurum . Sed multo fuit majoris virtutis , efficere rectissimis animi studiis , ut , quocunq; te loco fortuna constituisset , majore tu loco orname nte essem , quam tibi locus , ad eum honoris gradum adnixus , tua virtute per venires , qui summus haberetur . Ita , quod paucis contingit , id assecutus es , ut ad te ornandum , minimè nos configere oporteat , ad majorum gloriam , quam im minuunt è posteris , qui non augent , & ne domestica fortuna , cum tanta sit , suspectas efficiat tuas laudes , præstat for tunę tuę amplitudine , multo major atq;

illustrior virtus; ut ad hominum famam  
atq; existimationem comparandam mi-  
nimè tibi assentatore opus sit: cuius vo-  
ces, quò altius tollunt, eò quem effterunt;  
deprimunt magis. Tanta verò est in sa-  
piente homine animi elatio, & vis, quem  
non tu jam quidem æmularis, sed expri-  
mis vite constantia, ut, etiamsi virtutis  
sit justissimum præmium laus, rectè a-  
gendi fructum, tamen multo majorem  
ex animi conscientia percipiat, ubi o-  
mnium etiam cōscientiam fugiat, quam  
ex cujusquam prædicatione, quantum-  
vis gravis ejus auctoritas multis, fidesq;  
sit. Quę quidem tanta virtus, ut in te  
conspiciatur, majore cum hominum ad-  
miratione, facit illa incredibilis tua hu-  
manitas; quę quidem te haud immemo-  
rem tuę dignitatis, cum excelsi loco in  
se omnium oculos convertat, eò dimit-  
tit, unde ipsi nos tanto infra tuam fortu-  
nam constituti, vix attollere possumus;  
ut & amore tuo summo nos complecti-  
re, & facile idem patiaris, quando nos  
cætera deficiunt, ad tuam gratiam nos sis  
adi

aditum, voluntate, animi studio, obser-  
vantiaq; patefieri. Satis hæc in te multa  
videri poterant, ut eum locum tuerere, in  
quo te majorum gloria pariter, & tua vir-  
tus collocasset : sed ne frustra illa in te  
conspicerentur, cum eorum fructum, &  
aliis multis, & patrię deberes, natura tibi  
in te ornando, augendoq; effusa, dicendi  
facultatem est largita, ut & in privata vi-  
ta agenda, & cum Reipub: tempora po-  
stularent, in principum cōventu, atq; in  
Regum sanctiore consilio, suadendis iis,  
quę esse ex patrię usu intelligeres, ab ex-  
culto animo studio optimarum artium,  
optima consilia, genus dicendi exquisi-  
tum proferres ab ingenii ubere vena ; ut  
cum gravitas sententiarum cum copia  
certaret, efficeret virtus par, ut nihil vel-  
le posses, quod non Reip. conduceret; a-  
nimos omnium in quam velles sententi-  
am traheres, a qua velles, abduceres, de-  
terreres. Itaq; cum apud alios regni or-  
dines, tum apud reżem maximum, & sa-  
pientissimum tantus jam es , quantus  
jam pridem, ut esse videreris, non prius  
judia

judicio aliorum, quam tuo merito es assecutus. Quæcum ita sint, est cur mihi merito gratulari debeam, cui licuerit, eum mihi patronum adoptare, cujus auctoritas subsidio; gratia, quæ est summa, apud omnes mihi ornamento esset, gratias tibi agere maximas, atq; immortales, qui, quod nullo meo in te merito eram assecuturus, ut abs te impetrarem, propenso illo tuo animo ad omnem beneficentiam, & liberalitatem, effecisti, qua quidem te æquare paucos, anteire patetis neminem. Valeas, amplissime vir, & tua causa, & multorum adeò, patriæ in primis, quæ in tua salute, atq; incolumentate, plurimum hábet præsidii constitutum. Datum ex Arce Cracoviensi 10. Calend. Septemb. M.D.LXXIX.

# ANDREAS DV DITIVS JOANNI CRATONI S.



Væris, Vir Clarissime, quid  
de Cometarum significatione sen-  
tiam. Idem, Philosophus &  
Medicus præstantiss: SIMO-  
NIVS: idem, varia doctrina perpolitus  
ESROMVS RVDINGERVS: idem  
bonis artibus, jurisq; scientia eruditus  
IACOBVS MONAVIVS noster: idem  
amici quidam alii, à me postularunt. In-  
vidiosa magis, quam difficilis responsio  
est, in tanta opinionum varietate: qui-  
bus docti homines in diversas partes di-  
strahuntur. Huc accedit, quod si quis  
non levibus rationibus, &, quæ rationes,  
ut Galenus tuus scribit, superat, experi-  
entia adductus: à communi populariq;  
opinione sibi discedendum centet; is à  
super-

superstitiosis hominibus, & plus æquo  
timidis, in horrendum, gravissimumque  
crimen impietatis vocatur. Quorum  
videtur superstitione veteri illi Romanæ  
similis; quæ Cometen in Deorum nu-  
merum relatum, in templo Romæ colu-  
it; Quare equidem tacere constitueram,  
& tuam potius sententiam exquirere; ad  
quam meam adjungcrem. Non enim  
parum mihi cognita est pietas, atq; in o-  
mni doctrina ingenii, judiciiq; tui præ-  
stantia. Sed quoniam iterum abs te ur-  
geor; ab aliis etiam sæpius; dicendum est  
aliquid, ut facilius sententia tua eliciä-  
tur. Etsi non sim nescius, quam variae,  
quam pugnantes de Cometis veterum  
Philosophorum sententiæ fuerint, ut  
non dum ex abdita illa naturæ obscurita-  
te plane evolvi ejus vis, ac natura potue-  
rit; nos tamen communem, quæ cadem  
Aristotelis quoq; fuit, & qui eum magi-  
strum sequuntur, opinionem, hoc loco,  
retinuimus. Quam tamen non satis esse  
certam, ut credam, non leves me causæ  
impellunt. & sanc hæc tota de Meteoris

disputatio non satis habet firmitatis. Ac de Cometarum quidem generatione cōtra Aristotelem differuit *Marcellus Squarcialupus*, doctus & acutus Philosophus & Medicus. De Cometarum quidem essentia quid constitui certi potest? Viri certe docti, quos nostra ætas tulit, etiam ii, qui plus, quam ego fieri oportere contendeo, Cometis tribuunt, quid omnino Cometa, vel ut Cicero vocat, Stella crinita, vel cincinnata sit, nondum satis statuere possunt. *Iohan. Prætorius* meus, Noribergensis Reip. Mathematicus, & doctrina & bonitate singulari, quo ego in Mathematicis Magistro, domi meæ, aliquot annos usus sum, halitus e terræ visceribus elatorum esse, non dubitat affirmate; verum an accendantur & ardeant, id verò est, quod in primis dubitat. In quo Appianum celebrem Mathematicum sequutus est. Sic enim scribit: *De materia hujus Cometæ non ambigimus, quin fuerit molles vaporum terrestrium. Sed an halitus isti accessi fuerint, me item Appianus dubitare facit.* Nam dum radios Cometarum diligenter obser-  
vasset;

vasset, & deprehendisset eos Solis ex adverso  
semper positos esse, non dubitavit affirmare, non  
omnes Comet as accensos esse, sed quandoq; esse  
exhalationem subtilem, non inflamatam, sed  
lucentem à lumine Solis. cuiusmodi existimat o-  
mnes eos fuisse, quos ipse observavist. Hæc ipsius  
opinio, si vera est, quemadmodum probabilis esse  
viaetur, equidem ausim affirmare, hunc quoq;  
vaporem a Sole illuminatum fuisse potius, quam  
inflamatum. Nam & coma a Sole aversa erat,  
& lumē ipsum illuminationi similius, quam incé-  
dio Hæc Prætorius. Ne Paulus quidē Fabricius  
Philosophus & Medicus, ac Cæsareus  
Mathematicus eximia doctrina, ac boni-  
tate, atq; in hac disciplina longo usu ex-  
cultus, Peripateticorum sententiam,  
quam supra attigi, prorsus probare vide-  
tur. Nam Senecam sequi mavult, quem  
ait affirmare Cometam esse stellam, ini-  
tio à Deo cum alijs conditam, quem ille,  
ut suam declareret potentiam, suo tempo-  
re veluti prænuncians signum aliquod  
ostendat. Hieronymus Cardanus variado-  
ctrina, & mirifico ingenio præditus vir,  
Mathematicus item celeberrimus, Co-  
metam.

metam globum facit in coclo, qui à Sole  
illuminatus videtur, & dum radii trans-  
eunt, barba, aut caudæ effigiem formari.  
Hic igitur, inquit, in coelo, si ibi est, gene-  
ratio fieri potest: Si non admittatur, di-  
cere necesse est, quod & verius est, coe-  
lum esse sideribus pluribꝫ, sed non ad-  
modum densis, plenum. quod cum aér  
siccescit, & attenuatur, vel etiam aliis ex  
causis, oculis nostris se subjicit. Nam  
quandoq; & Venus media die videtur,  
quam de novo genitam non esse satis  
constat. Idem, Cardanus paulo supra  
hunc locum, postquam scienter demon-  
strasset, quam alte vapores attolli pos-  
sunt, sic concludit: *Satis constat locum, qui à  
Mediolani incola videri debet sub hyemali cir-  
culo, à terra distare plus quam decies altiudo va-  
porum pertingat. Sed ibi Cometa videntur a nobis*  
Igitur non sunt ex vaporibus: sed nec supra in aé-  
there, cum ibi non sit materia, quæ accendi possit.  
Subjicit vir ille doctiss: alia quoque huc  
pertinentia. Atq; hæc quidē tres hi præ-  
stantissimi ætatis nostræ Mathematici de  
Cometa scribut, ut alios multos præterea  
vete-

veterū. Varietates opinionum quis enumeret? *Pythagoræi*, ut ex Plutareho Stobæi collectanea habent, partim stellas faciūt Cometas<sup>s</sup>, quæ non semper, sed certo tēporis ambitū appareant: partim visus nostros in Solem speculi more reflexos. *Anaxagoras* ac *Democritus* duarū, vel plurium stellarum cōcurrsum. quēadmodum speculis aliquot inter se oppositis nonnunquā aliquid stelle simile elucet. *Aristoteles*, exhalationis aridæ igneam congeriem: & Cometas quidem, cum illa validius incēsa diutius durat, Stella quidem infra parente, coma autem supra fulgente. barbatas autē, cum contra stella quidem supra appareat, cōtra autē infra barbæ mōre. *Strato* dicebat, stelle lumen densa nube circumdatū, ut in lucernis appareat. *Heraclitus Ponticus* nubem sublimem, sublimi lumine illustratam; ac similē reddit causam barbararum trabium, columnarum, ac similiū, ut omnes fere Peripatetici, nobiū videlicet figuræ. *Epigenes* credebat Spiritum terreum incensum ac sublatū. *Poëtibus* aeris incensi visū. *Chaldei* sentiunt

alias quoq; stellas esse præter Planetas, quæ aliquandiu quidem lateant, quoniam longè sint a nobis remotæ; nonnunquam autem inferius delatæ appareant ita re exigente. Eas vero Cometas ab ijs vocari qui nesciant ipsos quoq; stellas esse; evanescere autem videri, cum insuam regionem, in ætheris profundum, veluti pisces in maris fundum referantur. *Alii* terrea quedam vento vel turbine in aerem ferri existimarunt, ibique incensa, & in ætheris vertiginem illapsa, cum universo ad tempus aliquod circumferri, donec igne consumpto evanescent. *Metrodorus* elici scintillas violenta Solis in nubem impressione. *Xenophanes* omnia id genus, compactum aliquid, aut motum esse nubium ignitarum.

Vides, mi Crato, quam varia, quam contraria summi Physicide Cometus physiophati sint? Non commemoro omnia. petat, qui volet, ex Aristotele, qui aliorum sententias sustulit; ex Seneca, qui & Aristotelis, & aliorum item opiniones refutavit; ex Laerio; ex aliis multis. Mihi sane, in tan-

tanta obscuritate, & multiplici opinionū varietate, cum res ipsa ignota etiamnum sit, non videtur vero esse simile, ut certi quidquam divinari, aut prædici possit. Quin hoc affirimo, etiamsi constaret, quid Cometa sit, quam materiam, quam natu-ram habeat, non posse tamen ex ejus lu-mine vel boni quidquam, vel mali præ-nunciari. Quod non ita multo pòst osten-demus. -

Qui Cometas propterea accendi in-  
cælo dicunt, ut sint magnarum calamita-  
tum, quæ nobis impendeant, prænun-  
ciæ quædam, atq; adeo causæ effientes;  
eventus varios, & veterum testimonia  
Poetarum atq; historiarum in medium  
afferunt. Sunt etiam, qui ratiunculis qui-  
busdam suis pugnant, ex naturali, si Diis  
placet, Philosophia & Medicina petitis.  
Atq; illi quidem *Lucani*, non ignobilis  
Poetæ versiculis nos territant, qui vocat,  
*Crinem timendi sideris*, Et: *Terris mutantem*  
*regna Cometen*. Item *Claudiani*, *Nunquam*  
*cælo spectatum impune Cometen affirmantis*.  
Inducunt etiam Poetarum principem, qui

Iulij

Julii Cæsaris necem, præter alia prodigia, à Cometa quoq; notatam fuisse innuere videatur.

*Non alias cælo ceciderunt plura sereno*

*Fulgura, nec diri toties arsere Cometæ.*

*Iovianus Fontanus* quoq; eodem, quo cæteri Poetæ spiritu afflatus, vir alioquin eximius in omni eleganti doctrina, in hunc modum cecinit:

*Ventorum quoq; certa dabunt tibi signa Cometæ,*

*Illi etiam belli motus, feraq; arma minantur,*

*Magnorum & clades populorum & funera  
Regum.*

& quæ ibi plura dicuntur. Nec lubet hic alia testimonia recitare, & non necessariis tum Carminum, tum historiarum, exemplis Epistolam implere. Obvia sunt passim, nec tibi, ut alia hujus generis omnia, non probè cognita.

Ac primum quidem miror eos ad experientiam confugere: quæ tota ab adversaria parte stat, proque ea multò plura, & veriora, ne dicam omnia, testimonia dicit. At eventus persæpè prædictiones eorum coprobat. Innumerabilia commemorari

possunt, quæ aut nullos habuerunt ejusmodi exitus, quales illi denunciarunt, aut prorsus contrarios. Quamvis h̄ic illud recte dici potest, quod Cicero scitè admodum scribit : *Quis est qui totum diem jaculans, non aliquando collimet?* totas noctes dormimus, neque ulla fere est, quæ non somniemus ; & miramur, aliquando id, quod somniavimus, evadere? Quid divinatione ex avium volatu (ne superstitiosa alia multa divinationum genera enumerem) quid extispicio vanius? quid ridiculum magis fingi potuit? & tamen sāpē ea evenerunt, quæ ex vanissimis illis imperitæ multitudinis delusionibus prædicta sunt. Non pauci certe omnibus temporibus Cometę arserunt, sine bellis, sine pestilentia, si ne ullis Regum funeribus. Contra vero tum anteacta secula, jam inde ab orbe cōdito, tum patrū nostrorū, & nostra hęc ætas, funestas clades multas, & cōtinentia bella, atq; humano manātes sanguine rivos, vidit: latērib, tamē interea, nec se se unquā incōspe etū pferetib. Comictis. Hęc mihi venit in mentem *Iulii Cæsaris*

Scaligeri , cuius tu libros mirificis in coe-  
lum laudibus tollis; Existimare , inquit,  
à Cometa Regem interfici , riaiculae demeniam  
est: tanto magis everti provinciam. Multi sunt  
à nobis Cometæ vissi , quos nulla unquam tota in  
Europa subsequuta est mortalium pernicies. Et  
multi clareiss: viri suo fato functi sunt : multi e-  
versi principatus, pessundatae familiae illustrissi-  
mae, sine ullo Cometæ iudicio. Hæc ille: Sed  
quærendum ab istis hariolis' est, memo-  
rabilem illam à Thucydide descriptam pesti-  
lentiam, tum ab Hippocrate aliam, item à Ga-  
leno , & aliis alias, & quam Baccacius item  
luculenter depingit; tum alias multas va-  
riis in locis crudeliter in omne animan-  
tium genus grassantes pestes; ac quatuor  
ab hinc annis Lithvanicam illam , & Po-  
lonicam, & Turcicam, & Pannonicam  
& Germanicam quoque , qui præcurso-  
res Cometæ denunciaverint? Multas cer-  
te easq; populosissimas provincias & o-  
lim saepe, & per hos annos continuè, sa-  
va pestilentiaz lues, nullo ardente Come-  
ta exhausit , ac depopulata est. Reges,  
Principes, summi viri multi, sic reliquum  
genus

genus omne , ut antea semper , ita hoc tempore , & in posterum quoq; dum pulcherrima hæc mundi machina stabit , si-  
ve aliquis flagret Cometa, sive nullus ap-  
pareat , perpetua tamen fatalijs naturæ  
lege in dies, inque horas , & nascentur , &  
interibunt . Neq; hic præpotentium  
Regum , quam de plebe cujusvis , aut me-  
lior , aut deterior esse conditio potest .

*Pallida mors a quo pulsat pede pauperum ta-*  
*Regumq; turres .* ( bernas ,  
*Stat sua cuiq; dies .*

& ea lege omnes nati sumus , ut cum vitæ  
finis adest , naturæ , vel inviti , vel volen-  
tes , concedere necesse habeamus . Quæ  
cum a me dicuntur , satis , opinor , appa-  
ret , ut nulla vis major admoveatur , o-  
mnia adversariorum tela , hoc exemplo-  
rum , quasi clypeo quodam objecta , ita  
excipi ; ut irrito ictu sua sponte decidant ,  
vel potius in ipsos infettos , atq; inve-  
hentes se , repellantur .

Itaq; hunc ipsum Cometen , qui non  
ita pridem flagrare desit , & tam prodi-  
giösus fingitur , longe alius , ut equidem ,  
spe-

spero, eventus consequetur ; quam vul-  
go *infimi isti Dei & naturæ consiliarii* inflatis  
buccis, tanquam è tripode , vaticina-  
tur. Quod si quo tamē casu bella aliqua,  
si pestis , si aliqua mala exoriantur, quis  
est vitæ communis rerumque humana-  
rum tam insolens, atq; ignarus? quis con-  
siliorum actionumque tan̄ parum acu-  
tus æstimator , qui vel levissima auditio-  
ne acceperit ea , quæ ubique ferè gen-  
tium agitantur, ut ea ad Cometæ potius  
crines, aut barbam, aut caudam, ac remo-  
tas illas cœlestes, universalesque, quam  
ad proximas, præsentesque causas re-  
ferenda esse pertinaciter adhuc conten-  
dat? nisi eorum etiam bellorum, pestilen-  
tiæ, aliarumque calamitatum Cometæ  
esse causam , temere & sine ulla ratione  
nugetur; quæ calamitates multò ante  
humanū genus misere afflixerunt,  
quam ullus in coclo Cometes existe-  
ret , aut ulla adhuc materia , vi siderum,  
ut loquuntur, in sublime hausta efferre-  
tur. Ne longe abieris, Veneta certè (in  
qua una urbe supra centum hominum

mis-

millia absunta dicuntur) aliarumque Italiæ, Germaniæ, Ungariæ, Sarmatiæ, Thraciæ urbium, ante Cometen exorta pestilentia est, & ut multis jam locis defæviit, ita aliis quoque vicinis contagionem civitatibus communicavit. Itaque durat hodieque passim, ac, nisi Deus eam removerit, causæque, quibus hæc lues alitur, sublatæ fuerint, durabit diutius, vicinosque populos immaniter fūnestabit. Vides me minus curiose vetera conquirere. Nam si id faciam, quis finis in tanta exemplorum copia reperiatur? Ea igitur tantum, quæ ipsis oculis intuemur, strictim attingam.

*Bellum Gallicum*, luctuosum illud sane & miserabile, tum non minus cruentum *Belicum*, jam aliquot ante Cometen, annis nobilissimas illas, opulentissimasque nationes affixit, peneque jam extinxit; necdum adhuc debellatum est. *Cyprum*, *Goletam*, *Tupetam*, nullo tanta mala præmonente Cometa, non ita pridem atroximus. *Ungaria* jam pridem mise-

miserandum in modum vastata, ac prope jam deleta est, adducta certe est in extremum discrimen. *Livoniam* prope omnem proxime, idq; ante Cometæ exortum, Moscus occupavit: nunc reliquias persequitur. *Bellam Dacicum, Danicum* his annis, nuper etiam *Transylvanicum*, & ter intra hoc biennium repetitas in *Sarmatiam Scytharum excursiones*, depopulationes, vastationes, cædes ab eis illatas, & multa alia fæda, nefandaq; atrociter ab eis patrata, pluri morum oppidorum, pagorum, villarumque exustiones, quis, amabo te, Cometes antecessit? Abducta a feris istis, non jam hominibus, sed belluis, equorum, & aliarum pecudum incredibilis multitudo: puerorum verò, & puellarum, atque omnis ætatis, & ordinis miserabilium hominum ad trecenta millia, ut fama loquitur, in horribilem, foedamq; Turcarum servitutem abducta sunt. Sive ad cavenda, sive ad depellen-  
da, sive etiam ad deprecanda hæc tanta mala, quæ præsignificare dicitur, Come-  
tes in coelo fulget, digna sane fuerat hæc,  
quam

quam leviter attigi tantum, tam memorabilis calamitas; quam novus aliquis Cometes nobis praemonstraret. Quis fuit motus vel major, vel memorabilior, quod bellum tetrius illo, quod paucis ab hinc annis in Ungaria gestum est? cum Solymannus Ottomannorum Regum potentissimus quingentis hominum millibus Pannoniam complevisset? Munitissima illa, non solum harum regionum, sed universitatem Christiani orbis propugnacula, Iula & Zigelum, capta & excisa sunt, fortissimis propugnatoribus, ad intercessionem trucidatis; oppidis, vicisq; incensis & eversis, abacta, pecudum more, in foedissimam servitutem, adolescentulorum, virginum, aliorumq; omnis ætatis; omnis ordinis multitudine infelicum mortalium infinita. Pone tibi ante oculos, quæ tum fuerit per Germaniam, Galliam, Italiam, alias provincias, armatorum hominum concursatio, dum Principes ad tuendos, non jam Ungariæ fines tantum, sed reliquum orbem Christianum (quem ille jam spe devoraverat,

ac, nisi admirabili Dei providentia sublatus fuisset: sed nolo graviora ominari) magno studio se comparant; atque undique maximi duces cum subsidiario militate, ad *Divum Maximilianum Cæsarem* confluunt. Hos tamen tantos tumultus, hos tantos motus, hoc tam memorabile bellum, tam magnas illas strages, & vastitatem, ipsam deniq; formidolosi Christianis populis Tyranni mortem, quis rerum humanarum, bellorum item, & vitæ necisq; Regum dispesator, autor, & prænuncius Cometes portendit? Mortuus est non multò post Cypri eversor ac triumphator *Solymanni filius* & successor; is, qui à nostris ad *Echinadas* navalipugna memorabili, nullo ante exorto Cometa, gloriose superatus est. mortuus item *Sigismundus Augustus*, *Sarmatarum Rex* potenterissimus, cum uxore *Catharina Austria-ca*, lectissima Regina: paucis antè annis *Divus Ferdinandus Cæsar*, cuius pietas summa atque insignis sapientia extitit: tum ab hinc fere biennium tanto patre dignissimus filius *Divus Maximilianus Imperator*

perator Opt. Max. cuius nunquam satis obitum, pro illius divina virtute, deplo- rare possumus; Plurimi alii Principes in Europa, & alibi mortui sunt; in quibus aliquot Pont. Max. tum *Henricus Galliarum Rex* bellicosus, miserabili fato functus, & ejus filius *Franciscus II. Rex*, post hunc *Carolus item IX. Rex*, ejus fra- ter. His pauci interjectis annis diem suum obierunt, nec tamen ullus fa- tidicum suum Iubar Cometes expli- cavit, quo his de rebus ante, quame- venirent mortales admonerentur. Pro- xime superioribus annis multa in Ze- landia & Hollandia ab Oceano oppida ab- sorpta sunt (nam hæc quoque Come- tis accepta referunt) *Ferraria*, nobilissi- ma urbs, fere ab imis convulsa sedi- bus, & terræ labefactata motibus, penè tota cum magnificis, & sumptuosis illis Divorum templis, ac publicis aliis privatisque ædificiis corruit, & deforma- ta est; nec tamen ullum tantorum moni- torē Cometē vidimus. Sed hujus generis

mala penè innumerabilia ex veteri, & nostrorum temporum historia, in medium afferre, nullius propè negotii fuerit. Illinc sumat licet, si quis magno eorum studio tenetur: nobis hæc satis sint, quæ vel vidimus ipsi, vel videre potuimus.

Verum longius abeo, quam initio constitueram, dum ostendere conor, si exemplis pugnandum sit, numero nos, & multorum insignium eventuum copia facile vincere. Quanquam nullum prorsus exemplum illorum servire instituto potest. Nam si propterea talia, quæ commemoravimus, mala, ad Cometen, tanquam ad causam suam referri oporteat, quod in illud aliquādo tempus incident, quo Cometes aliquis ardet, aut postquam deflagrat, consequantur: videndum est illis etiam atq; etiam, ne ad multas atque eas quidem perabsurdas consecutiones fenestram aperiant. Nam, ut alia omittam, efficitur sane hoc modo, ut ejus, quod fit, aut paulo post sequitur, causam esse dicamus id, quod vel præsens est, vel non ita pridem antecessit. Sic or-

ortum, sic obitum Solis, sic fulgura, sic tonitrua, sic parelia, sic iridem, sic multa alia eorum, caussam rerum omnium faciemus, quæ his intervallis ab hominibus suscipiuntur, & fiunt; atque adeò quæ eis præter expectationem, aut voluntatem accidentunt. Febre aliquis corripitur, aut morbo alio, moritur etiam: aliis ex alto cadit, aut cervicem ex equo delapsus frangit, dum tonat, aut fulgurat: num propterea aut tonitru, aut fulgur, febris, aut eorum quæ diximus, malorum efficiens caussa ponenda est? Bochne decem ab hinc diebus, ut ad me scribit Philippus Talduccius, nobilis Florentinus, prudens atque industrius vir, amicus meus, mulier quædam infantem dum lavat, audit extra domum alterius sui filioli fletu, accurrit propere, iacentem puerum offendit. is, in cultellum, quem manu gerebat, inciderat, seque ipse misellus transfixerat. mater dolore amens, recurrit ad infantem in alveolo relictum, hunc quoque submersum reperit. superveniens maritus, impotens sui uxorem corripit,

erberibusq; enecat. Quid multa? trium  
miserorum obitu conspecto, sceleris con-  
scientia, & charissimorum pignorum  
commiseratione furens infelix pater la-  
queum collo induit. *O rem miserabilent!*  
*Cracoviae* sub idem tempus infelix item  
adolescens quidam hospitis sui uxorem,  
filiolam item & ancillam, nocte in tem-  
pesta, obtruncat: pecuniam, torques, &  
quæ potest, aufert, absente marito: qui  
discedens peregrè, istius fidei omnia co-  
mendaverat. Hoc tam immani scelere co-  
gnito, quæritur, tandem comprehendendi-  
tur homo peritus, & in carcerem conji-  
citur: Quid multa? vivus ustulatur, forpi-  
cibus prius candētibus variè laceratus, &  
cultro longis per dorsum vulneribus à  
carnifice conscius. Num eot prodigio-  
forum funerum, tanti hujus sceleris, sup-  
plicii tā horrendi, causas ad Cometen re-  
feremus? Atq; hæc quide nuper admodū  
evenerunt. Quæ cū hucusq; scripsissem,  
ecce tibi tertia noctis hora clamores sur-  
sum deorsumq; cursitantium ministrorū  
meorum ac strepitus repente exaudio,

abjicio calamum, exilio. omnes extin-  
guendo incendio occupatos offendō,  
quod sensim ex coquinæ camino erupe-  
rat. Insanus sim profecto, si Cometē ac-  
cusem, non coqui imprudentiam, qui ni-  
mis luculentum ignem accenderat; atq;  
ipsius adeò oeconomi mei negligētiam,  
qui caminum non jussérunt in tēpore pur-  
gari, atq; ex eo, incendii materiam, fuli-  
ginem detrahi. Et hæc quidem omnia  
Cometæ conflagrationē non multò post  
consequuta sunt. Iam si pax, si salubritas  
aēris, ut plerunq; aſſolet, sequatur, si nul-  
la prærēta mala ejusmodi eveniunt, quæ  
minantnr, si nullus etiam rex moria-  
tur, non opinor nobis irascentur,  
si non jam dirum & imperfectorem, sed  
salutiferum, vitæque propugnatorem  
ac servatorem jure Cometē vocabi-  
mus. Ex quo quidem, si alia desint,  
vel solo, propici potest, quam vanæ, quā  
pugnantes inter se sint Genethliacorum  
prædictiones, quæ re & eventis refellan-  
tur. Dissidere autenl iſos inter se  
cōfirmat nuper emītū magni cujusdā

Astro.

Astrologi de hoc ipso Cometa vaticinum: qui prospera portendi scribit. *Bene sit homini bono*, tum quod non territat nos variis calamitatum denunciationibus, ut alii, tum quod ostendit in re dubia nihil esse firmitatis. Eadem igitur opera, & metu nos liberat, & vaticinationis hujus vanitatem demonstrat. Liber Italicè editus, & scriptor celebris est, *Anibal Raimundus Veronensis*. qui quidem in eo, ætatis fortassè vitio labitur, quod hujus luminis beneficio, & diurniorum sibi lucis usuram, & secundam, ne scio quam, fortunam promittit. quam equidem illi evenire opto aliunde. nam hinc quidem neutrum consequetur. sed sinamus exacta jam ætate senem inani spe deludi, & quali quali voluptate perfrui. Hæc cum ita se habeant, miror esse tamen aliquos, qui fidem Astrologis habendam, variisque eorum prædictiōnibus locum apud cordatos homines ullum relinquendum esse adhuc contendant. Valeant, contrariisque inter se vaticinationibus pugnant, mutuisque se,

se, suamq; istam fatidicam artem vulne-  
ribus conficiant , ac misellam tot aliis  
malis satis superq; vexatum popellum  
tam vano impendentium calamitatum  
metu exanimare desinant.

Cæterum quod *ad Poetarum terricula-  
menta*, & quorundam exempla historico-  
rum attinet, abunde satis fuerit, si brevi-  
ter ac nude respondeatur : Poetas, atque  
ipos etiam historicos, ut multis aliis de  
rebus sæpen numero , sic de Cometarum  
quoq; prodigiis, ex vulgi, atq; imperitæ  
multitudinis opinione, populariter; non  
ex veritate, aut animi sententia scripsisse  
ea, quæ de Cometarum eventibus literis  
mandarunt. Quod si obstinate negent  
Astrologi, & adhuc testimoniis, scripto-  
rumque authoritatibus pugnare vclint,  
næ illi non satis animadvertunt , in quas  
se angustias conjiciant. Causa certe tur-  
piter cadent, si coram æ quo judice litem  
faciant. Nam si huc provocant, nos con-  
tra pauculos Poeras, & historicos; qui ta-  
men ut ostendi, ab eis non stant; gravissi-  
morum Theologorum, Philosophorum,  
Medi-

Medicorum, aliorum etiam scriptorum,  
confertissimum agmen opponemus. Sed  
esto senserint cum vulgo Poetæ, neq; ali-  
ter, quā cogitabāt, scripserint. Eorumne  
nos authoritati cessuros existimant, qui  
toti in nugis, & fabellis versantur? quorū  
si placita recipiantur, *Deus bone*, quæ mō-  
strosarum portēta opinonum stabilien-  
tur? Haruspicina, extispicia, somnia, visa,  
oracula, satidicæ anus, & multæ aliæ ve-  
terum delirationes, regnum obtinebunt:  
jacebit vera Dei, & religionis cognitio,  
pietas Christiana omnis funditus ever-  
tetur, tum sensus ipse cōmunis, ac judicii  
ipsius vis omnis nobis eripietur. Itaq; mi-  
nimè nos illa movere debent, quæ sive  
hac, sive alia de re generis eiusdem, & a  
Poetis, & ab aliis, si qui sunt Poetarum si-  
miles, memoriæ prodita sunt: nisi cum  
ratione insanire malimus, quam pietatē,  
& doctorum hominum de rerum natura  
sententiam amplecti, superstitionis ani-  
cularum & falsis imperitæ multitudinis  
opinionibus irretiti.

Quid igitur inquiunt, nihil ne penitus

eorum, quæ vulgo timentur, malorum  
Cometen nobis prænunciare, & frustra  
talem de coelo ignem ostendi putas? Ajo  
equidem, non magis à Cometarum in-  
cendiis bella, pestes, Regum interitus, &  
quæ sunt generis eiusdem portendi (mul-  
tò vero minus effici) quam ab aliis im-  
pressionibus, & quæ multa, variaq; sæpè  
in aëre spæctantur, phænomenis. Quid  
ita? quia eadem est Cometarum; ut vos-  
met ipsi vultis, Peripateticos in eo, &  
principem eorum Aristotelem sequuti;  
quæ aliarum in coelo Hammarū, materia,  
eademq; efficiens caufsa: in manibus  
sunt libri Philosophorum, qui hæc ex na-  
turæ latebris, sensuum ministerio, eruta  
ad rationis examen revocarunt, atq; ho-  
rum nobis cœlestium spectaculorū cau-  
sas, scienter, quod ad ejus fieri potuit,  
explicarunt nihil debet esse in Philosophia, ut  
inquit Cicero, commentitiis fabellis loci.  
Atq; hi, quos dico, Peripateticis Solis, alio-  
rumque siderum insita vi, lumine, ac  
motu, intimos terræ recessus, aqua-  
rumque profunda permeantium,  
spi-

spiritus quosdam, sive fumos, sive hali-  
tus, sive mavis exhalationes elici ajunt;  
quæ calidæ, atque aridæ cum sint, atque  
ideo etiam levissimæ, sursum attollan-  
tur, in sublimemq; illum locum facile e-  
volent. Hæc concipiendis ignibus apta  
materia cum sit, orbis cœlestis agitatio-  
ne, proximique ardore ignis (si tamen  
ullus ibi ignis est) non magno negotio  
inflammatur. Variæ autem aliorum  
ignium species existunt, pro situ diversi-  
tate & materiæ cuiusq; copia, aut pau-  
citate. Hinc illa sæpe conspicimus, de  
quibus Poeta:

*Namq; volans liquidis in nubibus arsit a-  
rundo,*

*Signavitq; viam flammis, tenuesq; recessit  
Consumpta in vētos. Et illud: Cœu sæpè refixa  
Transcurrunt, crinemq; volantia sidera du-  
cunt Cœlo.*

Apud Philosophos reliquos plura etiam  
flammarum genera reperias, quam apud  
Aristotelem, qui quidem flamas, tra-  
jectiones stellarum, faces, capras, ex ea-  
dem produci causa, ac gradibus tan-  
tum,

tum, vel ut vulgo in Scholis loquuntur, intensione ac remissione: vel potius, ut ipse ait, τῷ μᾶκαν, καὶ τὸν, differrit docet. Talem quoque Cometarum esse naturam volunt. Constant enim omnes ex calido & sicco terræ halitu, ut dictum est. Iam vero objiciuntur aspectui nostro multæ aliæ in coelo admirabilium ignium formæ, hiatus, fossæ, candelæ, titio[n]es, trabes, dracones volantes, ignes perpendiculares, columnæ, gladii, lanceæ, lampades, jacula, clypei, turres, naves, crucis, & gemini illi ignes qui *Cistoris* & *Pollucis* nomen obtinuerunt, tum ardent[er] acies, & ignita arma, de quibus *Julius Obsequens*, & alii fusius differunt. Conspiciuntur fulgura quotannis cum terribili sonitu ac fragore, ut alia quoque naturæ miracula, quæ certe non minorem, quam Cometæ, admirationem, & metum incutiant. Quæ enim nox coelestium ignium spectaculis vacat? sed consuetudo nimis rurum, cum admiratione ipsa, ut dixi, pavorem quoque minuit, aut prorsus jam ademit. Quæ tamen omnia non minus

a na-

à naturalibus, & necessariis causis produci solent, quam Solis, & reliquorum siderum ortus atq; occasus, quā eiusdem *Solis Lunaeq; labores*, ut Poetæ loquuntur, quam interlunia, quam aliorum quoque Planetarum variis situs, atque ex cuiusvis cursu rotatōneque diversæ positio-nes, quam alia sexcenta; aut, quod malo, quam nubes, quam pruina, quam pluvia, quam nix, quam grando, quam tonitrua, quam fulgura, quam fulmina, quam Solis & Lunæ areæ, quam geminati So-les, aut plures etiam, Lunæ item plu-  
res, vel ut Græci vocant, πτερήλια καὶ θύραι, quam iris, quam multa alia, quæ videmus à natura effici. ex quibus tamen nihil propemodum harioli isti vaticinantur. Præclare Seneca, Nemo, in-quit, usque adeo tardus & hebes, & demissus in terram est, ut ad divina non erigatur, ac tota mente consurgat, utique ubi novum ali-  
quid de cœlo miraculum fulsit. Nam quatin-  
diu solita decurrunt, magnitudinem rerum consuetudo subducit. Ita enim cōpositi su-  
mus, ut nos quotidiana, etiam si admiratione digna

digna sunt, transeant: contra minimarum quoque rerum, si insolita prodierunt, spectaculum dulce fiat. Hic itaque cætus astrorum, quibus immensi corporis pulchritudo distinguitur, populum non convocat, at cum aliquid ex more mutatum est, omnium vultus in cœlo est. Sol spectatorem, nisi cum deficit, non habet. & quæ sequuntur alia, lectu perjucunda: post addit quoq;, Ad eō naturale est, magis nova, quam magna mirari. Idem in Cometis fit, sī rarus, & insolite figuræ ignis apparuit, nemo non scire, quid sit, cupit: & oblitus aliorum, de adventitio querit, ignarus utrum debeat mirari, an etiam timere. Non enim desunt, qui terrent, qui significaciones ejus prædicent. Haec tenus ille: Immutabili igitur, & stata naturæ lege hęc fiunt, neq; eo eveniunt, quo inani mortales metu excrucient, aut (quod absurdius est) ut bellis, ut pestilentia, ut mille aliis horrendis malis nos misere divexent. Nempe raritas ipsius rei & nostra inscitia facit, ut meticulosoru superstitionique deditorum animi ad infaustas præsensiones potius, quam ipsius rei naturam indagandum sele convertant.

vertant. Cujus quidem, ut ante ostendimus, & ipsi confitentur, non alia est, quam multarum aliarum coelestium flamarum materia. Rarius autem apparent crinitæ stellæ; quia ad eas inflammandas permagnam congeri materiæ vim, & copiam necesse est. Quo fit quoque, ut diurniores sint, & multos sæpe menses ardere conspiciantur. id quod aliis ignibus non accidit, quorum non est tam copiosum pabulum. Cometæ autem tam diu durant, dum tota illa, in qua concepta inflammatio fovebatur, immensa materiæ vis, ac magnitudo exuratur, ac penitus absumatur. Fiunt autem ista, &, dum natura, pulcherrimaq; hujus universitatis compages stabit, fient, suo quodam naturali ordine ac lege. Quid & quod nulla, ut jam dixi, nulla, inquam, sine ejusmodi spectaculis nox est, ac ne dies quidem ullus. Sed eorum nobis conspectum majus, splendidiusque Solis lumen eripit. Iam quod majores, minoresq; ignes existant, id fieri ostendimus; pro materiæ ex terra, atq; aquis elevatae, proq;

proq; pinguium, & tenacium, varieque  
mixtarum exhalationum & quantitate,  
& qualitate. Quocirca ex superstitione,  
puerilique metu profecta est omnis hæc  
divinatio, non ex rei ipsius natura, non  
disciplina ulla, vel sacra, vel prophana:  
quæ quidem firmis ac veris nitatur fun-  
damentis. Nam, ut sacra prius attinga-  
mus, quid est quæ so uspiam in sacris lite-  
ris memoriæ proditum, quod de coelo  
nos observare, atq; ex hujus generis in-  
flammationibus, aut omnino ex astris  
hariolari, aut venturas vaticinari calami-  
tates, aut prosperam promittere fortu-  
nam jubeat? Quin vetat nos ita insanire,  
gravi etiam addita comminatione, solus  
futurorum præscius, & author Deus: cu-  
jus in senatu quis sedet? quis arcanis ejus  
consiliis interfuit, ut quæ ventura sint  
longe ante, quam eveniant, enunciare  
queat? Prædicti equidem ea non nego  
posse, quæ Physice eveniunt, neq; aliter  
se habere, naturæ lege possunt, ut stella-  
rum ortus, & obitus, ut Solis & Lunæ e-  
clipses, ut ipsas quoq; aliquando Come-

tarum inflammationes. Quo magis etiā intelligas, nō ut signa, multò vero minus ut calamitatū causæ sint, Cometas à Deo suspēdi ex alto; sed ut alia, de quibus jam diximus, incendia naturali quodam ordine, ac ratione identidem existere. Hinc litteris proditum est, *Thaletem*, aut nescio quem alium, Cometæ ortum multo ante prænunciassc. Patrum certè memoria, & nostra adeo memoria *Appianus* Ingolstadiensiū Mathematicus; quem supra nominavi, uno atq; altero, nisi fallor, anno, antequā oriretur, Cometē visum iri prædixit. Iam si ex naturalibus causis Cometarū quoq; ortus prænunciantur; naturales certè ignes, non portenta esse, fateantur necesse est. Portentan. contra omnē naturæ vim, præterq; omnē ejus cursum atq; ordinē existunt, & à Deo, ob graves aliquas causas mortalibus objiciuntur. Quod ipsum cum evenire debet, aut Prophetarum, aut angelorum monitu homines ante ad eorum expectationē excitantur. Sic in sacris historiis aliqua portenta memorantur; sed quæ ante prædicta fuerant.

rant. De Cometis quid ejusmodi memoriæ mandatū fuit usquā in sacra historias Naturalia igitur prodigiosam essentiam non habent, nec vires, neq; effectus. Quo fit, ut ea, quæ ad hominū voluntates, cōsilia, actiones pertinent, & aliunde pendēt; quæve ad prosperam, vel adverlam fortunam, ad opes, ad honores, ad privatas vel publicas calamitates spectant. ea, inquam, omnia, potius vi, rerumq; usū, ac solerti conjectura comprehendendi, quā ex meteoris aut astris denunciari posse per spicuum videatur. Quin hoc obiter addo, si quod portentū sive in terra, sive in cœlo nobis offeratur, insitata ac profusa nova aliqua specie: quod nullus unquam mortalium antea viderit, quodque omnem intelligentiam, caputumque nostrum supereret; ne ex eo quidem homines, vel boni, vel mali quidquam, nisi casu, & temere, atq; ut Philotophus loquitur ex accidenti, vaticinari posse. Nam est nesciamens hominum fati, sortisque futuræ ut inquit ille; neque ulla humana ingenio & doctrinæ vi prævideri futura certo

possunt, nisi ab eo, quem forte DEUS  
peculiariter fatidico hoc spiritu afflave-  
rit; & ut de sacris vatibus legimus, arca-  
na aliqua patefecerit, de quibus huma-  
num genus admoneri velit. Quæ cum  
ita se habeant, non equidem ante fanati-  
cis istis Cometarum cultoribus fidem ad-  
jungam, quam se divinæ voluntatis, &  
consiliorum participes factos, & ad æter-  
na illa, atque, ut Paulus scribit, *imperscruta-  
bilis Dei judicia* admissos fuisse demon-  
strent. Ostendat igitur prius, si credi sibi  
volunt, unde didicerint iratum nobis  
Deum, hoc tam singulare, portentosum-  
que ire suæ signum de coelo suspendisse;  
quod idem magnorum etiam supplicio-  
rum, quibus humanum genus afflictu-  
rus, & perditurus sit, causam in se conti-  
neat. Quis angelus, hæc tanta eos arcana  
dœcuit? Peccata, inquit, populi indicio  
sunt, Deum iratum esse. Non igitur Co-  
metæ, sed peccata Deum irasci signifi-  
cant. At ire Dei gravioris signa sunt  
Cometæ: quia peccata etiam gravia sunt.  
Quæ ætas amabo te, quæ natio, quis po-  
pu-

pulus, quis fuit, aut est mortalis unquam  
liber a peccatis? semper igitur iratum,  
nunquam placatum Deum tibi finges?  
nunquam ne tanta ista ejus ira deferve-  
scet? at populi nunquam peccare & va-  
riis se inquinare sceleribus desinent.  
Qvarē nullus erit Cometarum finis, to-  
tum semper cœlum incendiis ardere ne-  
cessere erit. Non ex Cometis, o bone, discimus  
quid sequi, quid fugere debeamus. non in cœlo;  
sed in sacris literis nos spectare & discere Deus  
voluit, quid cum suis mandatis congruat, quid  
repugnet; quid eum offendat, quid probet, quas  
pœnas sceleribus nostris, que recte factis præmia  
constituerit. Verum longius quam insti-  
tueram, evagatur oratio, dum ostendere  
conor, neque ex natura, & constitutione  
Cometæ, neque ex ullius verè discipline  
fundamentis, neque eventis, neque Dei pa-  
refactione id evinci posse, quod homi-  
nes leves, & stulti omnibus persuasum  
esse volunt. Atque hic quidem non gra-  
ves, doctos, pios homines, qui suo se pe-  
de metiuntur, intelligere me putas ve-  
lin: quos ego colo, & amo, & libenter

lugubrationibus eorum, nec sine volunta-  
tate utor: sed ad eos mea pertinet ora-  
tio, qui, ut est apud veterem Poetam En-  
nium,

*Non sunt aut scientia, aut arte divini,  
Sed superstitiosi vates, impudentesq; hariolii,  
Aut inertes, aut insani, aut quib egestas imperat.  
Qui sibi semitā non sapiunt, alteri monstrāt viā:  
Quibus divitias pollicetur, ab iis drachmam ipsi  
petunt.*

*De his divitiis sibi deducant drachmam, reddāt  
cetera.*

Horum sane levitatem Plato ut Plotinus docet, indicavit, cum eos corporib. exutos, post obitum, in aves trāsmigrare ait. eam fortassis ob causam, quod vivetiā, animis in acre volitarent, ut Comicus loquitur, ἀργοβαλωντις curiosē ea inquirerent in rebus sublimibus, quæ falso ibi se reperisse in vulgus spargerent. Quæ causa videtur fuisse ut, quod Astrologi Alexandri pendebant, stultorum tributum vocari sit solitum. Sic enim est apud Suidam. Sed redeo: nulla igitur in Cometis tan- torum malorum, vel signi, vel causæ in- est

est necessitas, ac ne veri quidem similitudo ulla. Itaque vana & superstitionis omnis ex eis est hariolatio. Atque alia si neges, dicet aliquis, hoc saltem concedes, quod Philosophi, quod Aristoteles ipse docet, ventos, atque aeris siccitatem a Cometis effici, nego efficeri: Indicant tantum, & signi, non causae, vim habent. quin quoniam ex summis halitib. fiunt, qui siccis sunt, siccitatis effectus non causas dici oportere, perspicuum est. Quod Aratus quoque indicare videtur, cum ait:

*Namq; parit multos tempestas siccias Cometas,*  
*neque enim Cometæ ante existunt, ut*  
*ostensum est, quam elatæ e terra siccæ*  
*exhalationes aerem repleant, atq; in altô*  
*attrahantur. neq; ad unius tantum Co-*  
*metæ flammatum ventos & siccitates con-*  
*sequi, sed si crebri, & plures appareant,*  
*Aristot. docet. In eandem sententiam*  
*Aratus quoque cecinit, ut Cicero inter-*  
*pretatur:*

*At si contigerit plures ardere Cometas,*  
*In validas segetes torrebit siccior aer.*

Iuvat

Iuvat reliquos etiam versus adscribere, quibus ille generationem eorum scitè complexus est.

Nam quæ prorumpunt naturæ legibus ultro  
Spiramenta soli, si justus defuit humor,  
Arida per cælum surgentia desuper altè  
Ignescunt flammis, mundiq; expulsa calore  
Excutiunt terras, & crebro crine rubescunt,  
Vides, doctissime Crato, plures esse Co-  
metas oportere, qui ventos atque aeris  
siccitates, non jam efficiant, ut ipsi vo-  
lunt, sed, ut ego ajo, denunciant? idque  
nullo plerunq; eventu. Et isti tanien ex  
uno Cometa nobis, non flatus, non siccita-  
tes, sed bella, pestes, alias maximas ca-  
lamitates de coelo deducunt. At aeris  
constitutio, & vis corpora nostra afficit?  
afficiat sane, & tota suo arbitratu fingat,  
& refingat; non tamen ea re vincent ab  
aeris una siccitate diram illam luem in-  
vehi, atque ad arma suriali rabie capes-  
senda populos concitari. Quin contra  
potius usu venit. Nam Philosophi &  
Medici docent absimi his ardoribus  
corruptos venenatosq; fumos, atq; ac-  
rem

rem ab illa labe , & inquinamentis quibusdam , quæ illi ~~μεταφορά σημεδωδών~~ vocant , expurgari . Quam ad rem venti quoque magnam vim efferunt , aerem flatu suo commoventes , & si quæ forte coaluerunt putria corpuscula disjicientes . Ex quo sane efficitur contra , quam vates isti volunt , Cometæ pestilentia causam tollere ; cujus in putredine sita est , ut multi censem , vis omnis . Nulla autem magis , quam sicca aeris constitutio , putredini adversatur . Et observatum saepe fuit , quibus annis Cometæ fulserunt , eos maxime salubres fuisse . Thomas Erastus , magni vir ingenii , & doctrinæ præstantis duos annos 1556. & 1558. quibus Cometæ arserunt , apprime salubres fuisse memorat , in brevi quidem illo , sed docto de Cometis commentario . Cujus ego viri sententiam ita probo , ut nulla fere in parte ab ea discedendum mihi existimem . Sed ut eò , unde digressus sum , redeam , Hippocr. *Medicina parens* , siccas aeris constitutiones salubriores , minusque lethiferas esse scribit . Constat enim

enim putredinis somitem, ac fontem esse adversariam siccitati humiditatem. Quid? an illud non puerile ac plane ridiculum videtur? Eò ad bella, inquiunt, cōcitantur animi, quod aer æstuosus in corpus se nostrum sensim ingerit, insinuatq; artusq; omnes perreptat, sicque martiales quasi faces quasdam in ipsa cordis penetralia infert. hinc Spiritus inflammati mox æstuant; & sanguinem humum sitiunt scilicet: hinc furore correpti mortales passim cædes spirant. hinc furialis illa bellandi libido exardescit: hinc studium illud tam vehemens,

*Ære ciere viros, Martemque accedere.*

*CANTU.*

Q delirationem incredibilem, ô ridiculam & futilem rationem; longe alia est bellorum causa. Inspice consilia, & actiones Principum, ac nationum, fures populorum considera, excute mores hominum, vitæque rationem omnem expende, refer oculos ad origines & causas bellorum civilium & exteriorū; quæ nullo adhuc Cometa lucente excitata fue-

fuerunt, ac vix sunt tandem multis cladi-  
bus restincta; vel quæ adhuc ardent, &,  
non nisi cum totius Christiani orbis exi-  
tio, si nobis Deus non adfuerit, deflagra-  
bunt. Hæc qui secum repeteret, videbit  
certè nullo negotio longè aliam & initii,  
&, progressionis & exitus tantorum ma-  
lorum esse causam, quam fumosos istos  
Cometarum genitores terræ halitus, &  
levem istam humoris biliosi, aut spiritus,  
aut sanguinis exæstuationem. Magnis  
plerunque consiliis, neque ita temere,  
ut in umbra & pulvere Mathematico  
ociose desidentes sibi somniant, & susci-  
piuntur bella, & geruntur: neque fu-  
ror ibi magis, quam ratio, & prudentia  
imperat: præfertim ubi graves multo-  
que usu rerum pollentes Senatores con-  
silia sua conferunt. Neque omnes qui  
arma tractant, neque Principes o-  
mnes, qui bella gerunt, ita biliosi sunt  
natura: & si sint aliqui, non ita magna  
bilis est copia, quin temporis progressu  
in magno belli apparatu defervescat.  
Et sane quantumvis magnam bilis  
vim

vim minore labore, atque impensis, addo  
etiam periculis detrahet quivis, quam  
ut necessarium sit ad arma concurrere.  
Sed non possum h̄ic pr̄terire ea, quæ  
scite admodum in eandem sententiam  
*Eraſtus* ſcribit. *Quam felices, inquit, eſſent*  
*mortales, ſi abile duntaxat in Principum corpo-*  
*ribus coacervata, bellia omnia orirentur.* Pau-  
culo enim rhabarbaro, aut roſarum ſucco totam  
hanc peftem extinguere poſſet prudens Medi-  
cus. Sic & ab hominum cervicibus tantum  
periculum averteretur, & immenis pariter  
ſumptibus parceretur. Addo ego: non o-  
mnes ſua ſponte, ac volentes, arma corri-  
piunt non pauci, invitissimi, ſuam aut  
dignitatem, aut ditionem propugnare  
coguntur. Id fere nobis ne longius exem-  
pla arceſſantur, cum Turcis uſu venit.  
Quod ſi Cometes belli cauſa eſt, cur non  
in omnibus eundem belligandi ardo-  
rem ſtudiumque excitat, ut omnes liben-  
tissimi, nemo invitus ad dimicationem  
descendat, biliosus præſertim? ſunt, fa-  
teor, alii, quos non patriæ defensio, non  
publica ſalus, non aræ, non ſoci; ſed ava-  
ritia,

ritia, odium, injuriæ, ambitio & insana  
falsæ gloriæ cupiditas; insatiabilis quæ-  
dam habendi, & regnandi libido ad o-  
mnem audaciam impellit. Sed ne hi qui-  
dem sine magno consilio rem tantam  
aggreedi, & gerere solent. neq; vero cum  
rei benè gerendæ locus est, diutius sibi  
cunctandum, & novam ē coelo Cometæ  
alicujus expectandam lucem ducunt.  
Nemo uñquam bellum sine armis & co-  
piis, raro sine pecunia, quæ *nervus belli* vo-  
catur, gerere potuit. Num arma etiam,  
& divitias Cometes cum animo bellico-  
so confert? Iam si alterutrius exercitus  
tantam rationem dicit, ut ibi necessaria  
omnia ad rem ex sententia conficien-  
dam suppeditet: Cur tam alteri parti  
iniquus est, ut eam & copiis, & viribus,  
& opibus, atque adeò sæpè etiam forti-  
bus animis atq; audacia, victoria deniq;  
ipsa spoliet? An etiam perturbationi-  
bus Cometam distrahi censendum est, ut  
hos amore, illos odio sibi habendos, ob  
aliquam latenter causam, ducat? his for-  
titudinem & audaciam addat: illis igna-  
viam,

viam, corporem, timiditatē injiciat? hōs  
bile ardentes, bellicosos: illos phlegmate  
tarbos, inertes, imbelles efficiat? O singu-  
larem Cometæ iniquitatem! Verum non  
lubet pueriles has nugas pluribus refu-  
tare. Hoc satis sit ostendisse, multa requi-  
ri ad gerenda bella, quorum in Cometæ  
causa, ut & bellii ipsius, nisi a parum intel-  
ligentibus conferri non potest. Addo il-  
lud quoque, quod est à viris doctis fir-  
miss: rationibus demonstratum: corpora  
nostra non a Cometarum solum crini-  
bus, aut barba, aut cauda, sed ne ab ipso  
quidem coelo aliter affici, quam insita illi-  
lius natura patiatur. In animos vero  
ipsos atque adeo voluntates, consiliaque  
nostra, nihil juris, nihil potestatis, vel  
meteoris, vel coelo ipsi a natura, vel natu-  
ræ ipsius opifice Deo tributum fuisse: ho-  
minem autem, qui futura certo ac vere  
prænunciet, nisi instinctu inflatuque  
divino mirabiliter id fiat, non dubium  
esse, ut ante dictum est reperiri pror-  
sus neminem. Restat, ut pauca adhuc  
quædam de Regum interitâ repetamus.

Quæso

Quæso cur reges magis eripiat Cometa,  
 quam de plebe quemvis? an siderum,  
 coelique vis atque aeris temperamen-  
 tum ad Regum magis, quam tenuiorum  
 hominum corpora pertinet? an ex aliis  
 Regum, ex aliis item reliquorum homi-  
 num corpora, diversisq; elementis coa-  
 luerunt? an aliter concipiuntur, aliter in  
 lucem exeunt? an alium ipsi aerem hauri-  
 unt? aliis eis nimirum lucet Sol, alia side-  
 ra? Si vera sint hæc, quæ de crinitis fabu-  
 lantur, næ miserrimi sunt Reges. quid  
 Reges dico? ne homines quidē, sed trun-  
 ci erunt aut caudices. quippe in eorum  
 non corpora solū, verum etiam in ipsos  
 quoq; animos, Cometa merum mixtumque  
 imperium exercet, atq; adeo vitæ necisq;  
 potestatem habet. At major, inquis, ho-  
 rum cura cœlum tangit. Sacrarum  
 quoque literarum monumentis proditū  
 est, cor Regis in manu DEI esse. Vere. Sed  
 quid hoc ad rem, qua de agimus?  
 quid hinc efferunt? nihilo plus sa-  
 ñe, q; si ego itē, q; alibi scriptū quoq; est,  
 reponā: sōlē & hæc bonis ac maliis illucescere Dei

voluntate. Verum utrumq; ridiculum sit  
hoc loco. Quod si libros adeas, ex quibus  
hæc detorquentur : si antecedentia, si  
consequentia, si totam deniq; orationis  
~~oxenopias~~ consideres, statim intelligas id,  
quod dixi, nihil illa ad hoc nostrum argu-  
mentum pertinere. At enim delicato-  
res sunt Reges, & victus ratione utuntur  
ea, quæ idonea sit ad recipiendum Co-  
metarum effectiones; contra autem pro-  
miscua multitudo robustior est, & cras-  
sis plerunq; cibis sese ingurgitat. Ludere  
dices, & facetias studiose consectari,  
non serio agere urbanos homines ; nisi  
vultu ad omnem severitatem composi-  
to, atq; elato superciliosæ quipetalibus, ut  
Poeta inquit, *verbis hæc effutirent*. Reges  
bene conditis, ac bonum succum pro-  
creantibus cibis miserè interire; remiges  
vero, ut tuus Scaliger inquit, & fabros, &  
vitrarios, & messores, allio, bulbis, cepullis, ulpi-  
cis, sale, vino, pipare, differentes, non mori; id vero  
in primis est admiratione dignum. Sed heus  
tu, non omnes reges ita vivunt delicate,  
ut tu tibi opinionis errore fingis, neque  
omnes

omnes iis cibis vescuntur , qui tantam  
primum in corporibus , deinde in ipsis  
quoq; eorum animis tempestatem con-  
cident : neq; omnes uno, eodemq; sunt  
vel corporis habitu , vel partium tempe-  
ramento. Quo fit, ut cunctos Reges, non-  
una vis caloris , ac siccitatis possit attin-  
gere. Quin sunt aliqui frigida natura præ-  
dicti; alii hāc sibi intemperiem accersunt,  
dum cruditates aggerunt; alii libidinosa,  
& voluptaria sibi vita malum procurant.  
aliqui jam senes etiam sunt. His omni-  
bus non exitium , sed salutem adfert ca-  
lida, & siccā aeris constitutio , quām Co-  
metas efficere volunt. Nullum igitur  
à Cometa Regibus malum impendet; sed  
salus potius est expectanda. Sed sit sane  
ejusmodi princeps aliquis , qui non aliis  
cibis utatur , quam quibilem augeant,  
qui que inductum a Cometa aeris vitare  
æstum nequeat ; semper sub dio jacere,  
Solisq; se ardoribus excoquendum dare  
necessa habeat : huic certe febris & auri-  
go potius, quam belli studium immine-  
bit. Ut brevi concludam: nullus annus

F , est,

est, quo non alicubi Princeps aliquis aut  
nascatur, aut etiam moriatur, idque et-  
jam nullo Cometa apparente. Quare  
nec sunt signa, nec causæ, eorum aut or-  
tus, aut obitus. Id si fit tamen aliquando,  
lucente Cometa, temere fit, atq; ex acci-  
denti; perinde (ut magnus ille Casertæ  
Episcopus *Antonius Mirandulanus* scri-  
bit) ac si aliquo lavante in balne, coruscaret.  
Fiunt hæc ex materiæ necessitate. nihil  
cœlo cum Imperatoribus & Regibus ne-  
gocii est. Cœlum enim causa est uni-  
versalis, quæ beneficio motus & luminis,  
omnia, quæ sunt in hoc mundo, multo  
discrimine, alterat & vegetat, nullam  
interea rerum ipsarum cognitionem ha-  
bens. sed nolo omnia persequi. neq; enim  
operæ premium est longiorem in re futili  
orationem consumere. & hæc quoq; non  
dubito tibi lectu non fore jucunda. quæ  
ipsa profecto, cum ad rescribendum tibi  
calamum sumpsi, non fuit animus tam  
copiose examinare, atque utriusque no-  
strum ocio, tam intemperanter abuti,  
sed scribenti, ut sit, aliud ex alio inci-  
debat.

debat. Quæcum perlegeris, fac ut intelligam, quid in primis improbes; nisi adhuc, quod nolim, non satis recte vales. Evidem invaletudine tua vehementer conturbor. Cæterum, quod ad *Eraspi* (quem ego virum, illius sancte merito, magnificatio) sententiam de putredine attinet, ea mihi nondum bene perspecta est. nec dum enim ejus haç de re commentarios vidi. Quæ de illius morbo adscribis, vix credas quam me valdè perturbarint. legi quæ *Cardanus* de morbo, quem *vagnon* vocat, ante multos annos scripsit, multa congruunt. Tam multis certe flatus, qui totum corpus ita perreptant, ut cutem distendant, eamque à musculis etiam sejungant avellantque, caloris innati imbecillitas difficulter discutiet; in illa præsertim ætatis inclinatione. Sed confido tamen fore, ut vir vita dignissimus sanitatem recuperet. quod votis omnibus à D E O expecto. *Hieronymus Mercurialis* præstantissimi Philosophi, & *Medici Patavini* opinionem non probo. Si

nullam esse pestem affirmat , nisi cum ab  
aere pestilentibus seminariis , putridisq;  
~~μιάσμασι~~ corrupto, atq; inquinato , huma-  
na corpora inficiuntur , lethalemque la-  
bem hauriunt , penitusque in viscera re-  
cipiunt . Pugnare item cum ratione vi-  
detur id , quod , nisi fallor , docet , non  
esse pestem illam , cum pauci extingvun-  
tur , & non tota urbs , ac provincia aliqua  
integra funeribus repletur . Nam et-  
jam sine aeris corruptione , etsi non ita  
passim , multi tamen possunt malignos  
humores cogere , qui putrefacti veram  
pestem in aliquo gignant , quæ deinde  
pestis particularis , contagione ad alios  
serpente pestem absolutā , & universam  
efficit . Morbi enim genus & vim , at-  
que essentiam , non ægrorum , aut inter-  
euntium multitudine aut paucitate (nu-  
merus enim substantiam non constitu-  
it ) sed ipsius morbi proprietatis per-  
petuisque causis aut effectibus metior .  
De qua re tota rectius equidem judicare  
possem , si tuos de putredine libros , quos  
jam ante 20. annos publicè literatis pro-  
missisti ,

misisti, tandem aliquando videre possem. Quos quidem libros, ut non sine multorum, tui cupidorum, jactura nimis diu premis, ita Philosophia ac Medicinæ studiosi possunt à te, suo quodam jure efflagitare. Vale, meq; ut facis, ama.

Ex solitudine mea Pascoviana, apud  
Moravos, pridie Kal. Mart.  
M. D. Lxxix.



De Cometae Significatione

et de Cometis quibus sibi videntur esse; Huius  
opus est quod dicitur de Cometae Significatione  
et de Cometis quibus sibi videntur esse. Quod  
est hoc quod dicitur de Cometae Significatione  
et de Cometis quibus sibi videntur esse.

THOMÆ ERASTI

DE

COMETARUM  
SIGNIFICATIONIBUS

Sententia.

DE COMETA-  
RUM SIGNIFICATIONI-  
BUS SENTENTIA Tho-  
mæ ERASTI.

Veris accertis ex ipsa rei natura  
petitis argumentis pro-  
bata.

**M**axima pars hominum à male-  
fanis Astrologis, puto, persua-  
sa, Cometarum apparitiones  
ominosas esse, magnasque ca-  
lamitates, præsertim verò bella, pestem,  
annone caritatem, & Principum mortes,  
naturaliter portendere censem. De qua-  
re, quid sentiendum sit, si absq; errore, &  
ex certis fundamentis cognoscere volu-  
mus, quid Cometa, & quæ eorum mate-  
ria generatioq; sit, ponere primum o-  
portet.

Philosophorum sententia est, Cometas nil esse aliud, quam calidam & siccum exhalationem supra regionem, in qua pluviae nasci solent, elatam, & à motu supremi aeris atq; ignis accensam. Hæc eadem materia pro diversitate regionis, figuræ, raritatis, densitatis, lento ris, crassitie, multitudinis, &c. stellas transcurrentes, capras saltantes, dracones volantes, aliaq; ignita meteora parit. Equidem *Aristoteles* aperte docet, inter stellarum trajectiones & Cometas nullum aliud, hac quidem in parte, discriminem existere, quam quod in illis materia in longum exorrecta tenuis admodum & dissipatu facilis est, & ob id ignem non retinet, sed simul ac fere accensa est, extinguitur: in his autem ignem accensa propter crassitatem, & densitatem retinet. Sicut in pulvere bombardario, secundum longum sparso, cum ab uno capite flamمام concepit, eadem celeriter ad alterum caput, nullibi consistens transcurrit, propter materiam inflammatu & dissipatu habilem: ita ferme

me in discurrentibus stellis contingit. Cometæ materia multò crassior est, densior, copiosior, & magis lenta. Quo fit, ut aliquot sæpe mensibus ardeant. Utrorumque materia, Cometarum scilicet ac transvolantium siderum, expers non est naturæ, seu pinguitudinis sulfureæ aut bituminosæ: quod manifeste odor ignium de cœlo in terram delapsorum probat. Rarius apparent Cometæ, quam discurrentia sidera, quia multam valde materiam esse oportet, ac in parte aliqua magis conglobatam sive densatam, ut sideris aliquam speciem repræsentet. Hæc de ortu eorum & materia.

Si jam Cometæ afflumentur supra dictorum aliquid significare, omnino necessarium est, ut cum eo connexionem eandem habeant, quam signum habet cum re signata. Qui enim significare aliquid certi possit, si ejus re signum non sit? aut, qui signum erit rei certæ, si cum ea conjunctionem seu colligationem nullam habeat? Quod si ergo signa sunt, videndum est, qualia nam signa sint.

Ete-

Etenim signorum alia sunt *Naturalia*, alia  
*artificiosa*: Nec extra hæc ulla reperiuntur. Quamobrem Cometas oportet sta-  
tuere signa esse supra dictarum rerum  
vel naturalia, vel artificiosa. Utrumq; si  
neges, signa quoque esse itidem nega-  
bis. *Naturalia signa* voco, quæ sua natu-  
ra certi aliquid significant. *Artificialia*  
*nominō*, quæ non quidem natura  
sua, sed ex pacto & convento aliquid de-  
notant. *Naturalis signi* exemplum est fu-  
mus, itemque iris vespertina. Ille enim  
ignem, hæc dici sequentis serenitatem  
indicit. Plurimum enim dies postera est  
serena. Tale quoq; signum est rubens ve-  
speri cœlum: quod ipsum quoq; sequen-  
tem diem serenum fore præindicat. *Ar-  
tificiosi signi* exemplum est Lapis, quem  
Terminū appellamus. Est n. signum arti-  
ficiosum distinctionis agrorum ex pa-  
cto, & convento hominum. Sic enim cō-  
venit intereos, ut certo positus loco a-  
grorum fines disternet. Tale quoque  
signum est iris, non quidem ab homini-  
bus, sed à Deo institutum: quo admo-  
ne-

nemur, mundum porro aqua non esse perdendum. Sicut lapis ex natura sua non definit agros, sed ex hominum consensu, ita iris non ex propria sua natura, sed ex pacto, & promissione divina signum facta nobis est, mundi non amplius diluvio perituri. Sed de artificialibus signis postea, nunc de naturalibus agemus.

*Si Cometa est signum naturale supra positarum rerum, necessarium est, ut vel sit causa rei significata, vel ejusdem effectus, vel quiddam ab eadem illa causa profectum, à qua res significata itidem efficitur. Si quis ex eorum numero, qui docti videri volunt, Cometam facit naturalem causam bellorum, quæ consequentur, aut rerum aliarum consimilium, satis probat se inscientem esse. Quibus enim machinis efficiat vapor iste ardens, ut armis concurrant mortales ad mutuam cædem? difficile hic est, vel fingere aliquid verisimile. Attamen conati sunt aliqui modum exponere. Cometæ, inquit, de sententia Aristotelis, effi-*

efficiunt aëris siccitatem & caliditatem. Ab hac constitutione corpora exsiccari, inflammari, & omnino graviter lædi oportet: maxime debiliora & delicatiora. Hinc ergo bella & morbi pestilentes suscitantur, Principumque mortes consequuntur. Etenim hi præ aliis delicate vivunt, in otio degunt, victus ratione prava utuntur, & nec laboribus, nec aeris injuriis perferendis se assuefecerunt. Quocirca citius aliis patiuntur. Hinc bile in eis aucta, humoribusque inflammatis facile irritati excandescunt, & bella movent. Facile quoq; ægrotant, & per-eunt ob eandem causam.

Ad bella quod attinet, vix puto quenquam inveniri, adeò vecordem, qui credat ob aeris siccitatem, & calorem sic augeribilem in principibus, ut bellica meditentur, classicumq; ob id canere jubent. Primum enim facilius carent sibi ab æstu, quam alii. Deinde plus coacer- varunt crudorum, quam biliosorum humorum. Tertio non sine consilio bella inchoant. Non est autem necessarium, ut qui

qui à consiliis sunt principibus, omnes eodem temperamento præditi sint. Deniq; non minus inter se privati, quam principes plus solito pugnarent. Quam porrò felices essent mortales, si à bile duntaxat in principum corporibus coacervata bella omnia oriarentur? Pauculo enim Rhabarbaro, aut rosarum succototam hanc pestem extinguire posset prudens Medicus. Sic & ab hominum cervicibus periculum tantum averteretur, & immensis pariter sumptibus parceretur. Rara certe bella, ne dicam nulla, oriuntur ex eo, quod corpora nostra calidiora & fiddiora fiunt. Injuriæ, invidia, odium, ambitio, dominandi libido, avaritia, & hujus generis aliæ cupiditates, bellorum causæ plerunq; fuerunt, sunt, ac in posterum erunt.

Quoniam ergo nemo existit, qui ex dictam rationem potuerit aliam excogitare aut fingere, qua probabiliter Cometas suscitare bella doceret, atq; hec ipsa, quæ recitata fuit, nec verisimilis est, Nec vera, manifestum est, eos bellorum cau-

causas nullo modo esse posse. Non est n. imaginabile, quomodo vapor aut halitus per aerem fusus animos regum ad bella, quæ sine longa deliberatione, & exacta omnium circumstantiarum consideratione, vix unquam suscipiuntur, per se incitare valeat. Non enim qui irascitur, mox etiam bello aggredi alios solet.

Æque ridiculi sunt, qui causas interitus Principum eadem ratione ducti ponunt: licet multi ex Principibus vehementer sibi timeant, quoties Comestam apparere audiunt, aut vident. Constat principum corpora non magis ab aeris siccitate, & caliditate laedi, quam aliorum hominum. Nec minus convenit *Hippocratis* dictum principibus, quam plebeis, quo naturarum alias ad æstatem, alias ad hyemem, melius ac deteriorius habere affirmat. Notum est plerosq; Principes in ocio vivere, trapulæque sic esse deditos, ut crudorum & frigidorum humorum plus colligant, quam calidiorum & siccorum, & proinde à calida, & sicca aëris constitutione multò

magis juvari, quā lædi eos oportet. Nulli etiam homines sunt, qui facilius quamlibet aeris intemperiem cavere possunt. Nulli certè minus à solibus torrentur, aut à frigoribus affliguntur: cum ædificiis, vestitu, rebus alijs incommoda aeris facile vitent. Denique falkam est, siccias constitutiones, quas Cometarum apparitiones sequi concedunt, insalubres & mortiferas esse.

Etenim & perpetua omnium seculorum experientia, & ratio, & tum Hippocratis, tum præstantium omnium Medicorum authoritas, consensus, observatio, demonstrant, siccias aeris constitutiones, pluviosis seu humidis esse salubriores, γενετικας ηγή πασον θαυμάδεις, ut loquitur Hippocrates. Ut nota nunc dicam, annis 1556. & 1558. duo Cometæ exstiterunt, & uterq; annus calidus & siccus, maximeq; salubris fuit.

Si responset aliquis, non excedentem siccitatem, sed mediocrem salubre esse, facilis omnino est responsio. Primum enim salubriores sunt sicciores intemperies

peries humidioribus , nisi prorsus ad summum usque ascenderint. Confert enim *Hippocrates* inter se non tantum mediocres, sed & vehementiores. Deinde nec in regionibus nostris , nec aliis in locis, quantum ex scriptis aliorum discere potui, immensa adeo siccitas unquam post Cometam sequuta est, quæ pestifera vel principibus, vel aliis fuisset. Quare nil aliud sunt hæ rationes , quam aniles fabulæ. Nec obstat, quod aliquando videtur Cometa pestem præindicare posse. Nam tunc , ut mox audiemus, non consequitur siccitas. Deinde non magis, imo multo minus , minitabitur Cometa mortem principibus, quam aliis cunctis. Etenim pestis non facile unquam initium sumsit a Palatiis Regum , sed pauperum casulas , & sordida loca plerunque primo invadit : Quod & ratio demonstrat , & certa experientia comprobatur: Fuga igitur sibi mature consulunt (quod factu ipsis facile est) & remediis opportunis noxiū acrem magis arcent, & ab infectis



infestis minus contaminantur, dum aditum suspectis omnibus negant.

Sed quid h̄ic opus est verbis? consideremus proxima nobis. Anno 1558. Cometa nobis apparuit ultimus. Ab hoc tempore quot sunt mortui principes summi, quibus nullus præluxit Comes? Primum *Carolus Imperator, Ferdinandus ejus frater, & successor hujus filius Maximilianus Rex Poloniæ, Reges duo Galliæ, Rex Hispaniæ Philippus filius, Rex Scotiæ, si non fallor, Turcici imperatores duo, Rex Transylvaniæ, Papæ aliquot & Principes Itali, Otto Henricus & Fridericus Com: Palatini Elec: Christophorus Friderici filius, Wolfgangus Bipontinus, dux Wirtenbergensis, dux Christophorus, Eberhardus ejus filius, dux Saxoniæ Ioh: Wilhelmus, dux Henricus Brunsvicensis, dux Megalburgensis, dux Pomeraniæ Barninus, Elect. Ioachimus Brandenburgensis, Carolus & Philibertus Marchiones Badenses, & alii, quorum nunc non recordor. Quot etiam apparuerunt Cometæ, cum aliquot annis post nullus sit mortuus Princeps*

ceps illastris & clarus, cuius obitum vidèri potuerint significavisse? quis non aper-  
tè videat, non minus accidere mortes  
Principum apparitionibus Cometarum,  
quam nobis accidit hoc vel illud cogita-  
re post novam aut plenam Lunam?

Supra quoq; audivimus trajectiones  
stellarum eandem cum Cometis habere  
generationem; nisi quod istic materia,  
quam hic est paucior, rarer, tenuior. An  
igitur, quia stellæ discurrentes meteora  
sunt minora, sic portendere inferiorum  
hominum interitum dicemus, quomodo  
Cometas Principum extinctiones præ-  
monstrare ajunt? Si affirmabimus ride-  
bimur: si negabimus, erga Naturam vel  
hic vel illic injurii sumus. Similis ratio  
est aliorum quoq; ignium in aëre  
vel supremo vel imo orientium, si analo-  
gia servetur. Cur ergo Cometis solis  
hanc prærogativā tribuunt? Quia, inqui-  
unt, experientia docuit, calamitates se-  
qui sed eadem aut similes cōsecutæ sunt  
etiam res alias: & evenerunt eadem adeoq;  
majores, cum nihil tale præcessisset.

Te-

Tenenda nobis h̄ic est regula certissima, non quicquid post aliud sequitur ab eo, quod praecepsit, efficitur. Nisi enim ita esset, quicquid post plenilunium (exempli gratia) homines agunt, plenum Lunæ lumen perfecisset. Quod omnium, quæ fingi possunt, longe absurdissimum est dictu. Ostensum est dilucidè, Cometas non esse causas bellorum, & interitus gentium aut mutationis Regnum, nec vim aliquam peculiarem obtinuisse necandi Principes. Clare quoq; patet, eos neq; pestem neq; annonæ caritatem invehere, si verum est, quod isti ponunt, nempè siccitatem & aestum ab ipsis effici. Iam enim probatum est, à siccitate, in nostris præsertim regionibus, neq; peste, neq; alios morbos permicio-  
sos creari. Docuit etiam temporu omniū experientia, sicciores annos apud nos foecundos potius, q; steriles existitisse: q; p-  
ximè præcedentes 1556. & 1558. quib. duo-  
bus annis Cometæ duo arserunt, & 1575.  
ut reliquos præterea, satis declarat. Certo  
igitur certi⁹ est, Cometas non esse causas

effectrices naturales supra enumerato-  
rum malorum.

Quod porro neq; effectiones quæ-  
dam sint Cometæ jam s̄epius comme-  
moratarum calamitatum, patet. Qua ra-  
tione enim Cometas efficiant bellum,  
principis alicujus mors, pestis &c. ima-  
ginabile non est. Tacco, quod cum hypo-  
thesi pugnat. Omnes enim ponunt  
toties dicta mala post Cometas sequi. At  
*effectus non præcedit causam.* Qui contra-  
sentit, perinde facit atque is, qui homi-  
nem quempiam neq; natum, neque con-  
ceptum, ausit affirmare præclaras nescio  
quas res gessisse. Talia dicenti re-  
sponderis rectè, quod vulgo dicitur,  
*Capra nondum peperit, & hædus tamen saltat in tectu.*

Sed nec eadem potest Cometarum,  
& enumeratorum malorum causa fingi.  
Cometarum causa est copia siccæ exha-  
lationis ad supremam usque aëris regio-  
nem sublatæ: bellorum, mutationis im-  
periorum, interitus urbium, & princi-  
pum, causæ longè aliæ sunt, quod nesci-  
re

re nullus potest. Exhalatio, quæ Cometis alimentum, & materiam præbet à calore tum siderum tum in terræ visceribus inclusò generatur, atque in altum & sponte sua fertur, & à calore siderum attrahitur. Quæ si bellum creare debet, mille alias causas accidentales intervenire oportet.

Ergo cum Cometæ neq; causæ sint bellorum, interitus principum, excidii urbium aut gentium, aliarumque rerum talium, neq; effectiones, neq; ab eadem causa tum Cometæ, tum prædicta manarint unquam, impossibile est, ut talium rerum signa naturalia esse atq; dici possint. Quicquid enim naturaliter rem aliquam significat, id necessario est, vel causa ejus rei, vel effectus, vel eandem utrumq; causam habet: nec datur quarta connexio, qua res aliquanaturaliter à se aliud significare possit. Auster, exempli gratia, spirare incipiens signum est secuturæ pluviae, quia causa ejus est. Fumus signum est ignis, quia ab igne producitur. Iris vesperi apparens si-

gnum est serenitatis, quia causa, quæ facit, ut iris vesperi appareat, eadem serenitatem quoq; inducit.

Quid ergo? inquit aliquis, an Cometa rei nullius naturalis causa est vel effectus? non inficior Cometas signa esse naturalia certarum rerum, sed nuper dictarum signa esse nego, adeoque pernegas & diversum nullis argumentis probari posse incunctanter affirmo. Ut autem quid significare naturaliter possint, perspiciatur, consideranda est eorum natura. Sic enim intelligemus aerem halitibus plenum esse: Evidem Cometa non ex pauca exspiratione, sicut alia quædam ignita meteora, nascitur. Quanto majores, diuturniores & splendidiores apparent, tanto plures halitus, & densiores in aere contineri oportet. Verisimile quoque est, inferne subinde alios ascendere, & accensam flamمام alere: quod Aristoteli etiam visum est. Denique ambigu non potest, quin illa in aere flamma, longè etiam dissitos, & per aere dispersos halitus undiq; ad se attrahat.

hat. Quî enim posset exhalatio tanto tempore ignem sustinere , si non continue materiæ ex omnibus partib. aliquid accederet? Quocirca verum omnino est, Cometas indicare nobis aerem siccâ & densâ exspiratione refertum esse. Ergo vel absumitur hæc , quæ per aerem diffusa est, exhalatio , à flamma in parte ejus accensa , vel relinquitur. Consumi oportet, inquam , maximam ejus partem (si tota dissipari nequeat) hic , rariorem magis aeream fieri lentoreque, & pinguitudine spoliari. Quo facto, necesse est ventos , & siccitates consequi. Non enim in pluvias densari possunt hoc modo arefacti halitus. Quoties hoc fit, fit autem plerunque , ne dicam semper, dum siccitatis & ventorum signum est Cometa , quatenus horum causa est. Suo enim igne halitus absumens aerem purificat. Si vero aer à Cometæ flamma non repurgetur ab halitibus , nec sequens aeris cōstitutio eos dispulerit (sed fortassè etiam auxerit) facile putrescer, & pestifera qualitate acrem contaminabunt,

bunt, præsertim si multi interim de terra vapores surgant, vel pluviaæ frequentiores accedant. Cometa igitur, id est, pars halitus accensa (quæ plerunque discutitur) non est causa pestis, cū propriè loqui volumus, sed vapores & halitus alii per aerem diffusi, qui à Cometæ flamma absumpti non sunt. Ab eadem igitur causa tum Cometæ tum pestis oriuntur, qua etiam ratione signum pestis dici potest. Certum est interim, rarissime admodum aerem post Cometæ extinctionem non puriorem esse, quam antea fuisset. Quomodo enim non esset purior, qui tanta ejusmodi halituum parte liberatus est, quanta tot dierum spatio ab igne consumi potuit? Quanto igitur Cometæ majores, & diuturniores, & lucidiores sunt, tanto majorem halituum copiam dissipant, aeremq; exactius purgant. Ab his quid præter siccitatem, & ventos exspectare possis, equidem non video. Quare si post dissolutum Cometam pestis oritur, necessarium est, ut vel parvus admodum fuerit: vel brevi  
admo-

admodum tempore duraverit : & propter peregrini ac contrarii corporis accessionem intempestivè extinctus fuerit. Quod quia neq; vetustis temporibus, neq; nostra & patrum nostrorum ætate sæpius factum fuisse animadversum est, recte *Arist.* & qui eum secuti sunt præstantissimi Philosophi & Medici affirmarunt, siccitatem, calorem, ventos, parere Cometas : nulla aliorum magis particularium eventuum mentione facta. Posse tamen pestem, vel alios graves morbos, & frugum corruptiones à Cometis indicari eo modo, qui dictus est, ratio ipsa docet. At tunc non ratione siccitatis, ut isti argumentabantur, pestis signum est, sed quia aerem impurum, propter celerem & immaturam extinctionem, purificatum non esse indicat.

Cometas naturalia signa non esse bellorum, eversionis imperiorum, interitus principum, &c. demonstratum est. Restat ergo, ut, an artificiosa signa sint rerum talium, breviter declaremus. Quia vocemus artificiale signum retro diximus.

mus. Sunt hæc signa duorum generum  
*humana & divina*. De *humanis* nihil est opus dicere, cum non sit in hominum potestate Cometas excitare, & in certa aliqua cœli parte collocare, ut certi eis aliquid ex pacto, & consensione significent, sicut terminum certo loco ad distinguendos fines ponere possunt. *Divina signa* duplia iterum sunt. *Quædam* enim certam habent, & à DÉO expressam significationem, *quædam* generalem notationem habent, specialem aut singularem nullam. Ex hōrum ordine (ad quēm monstra, prodigia, ostenta, & inusitatē præterque communem naturæ cursum evenientia, pertinent fermè omnia) sunt Cometæ. Hōrum signorum peculiarem indicacionem nulla arte, nulla ratione, nulla methoda cognoscere possumus: sed ab illis solis intelligi, & prædici potest, quibus Deus patet fecit. Est enim hæc artificialium signorum nature, ut non aliter quam ex pacto significant. Quare

haq

hoc solum ex Cometarum apparitione  
discimus, nos à Deo excitari & moneri,  
ut uitam emendemus, peccatis resista-  
mus, vera pœnitentia ad DEUM con-  
fugiamus. Significant enim universim,  
& in genere iram Dei adversus scelera  
nostra exardescere: licet speciatim non  
indicent, quo poenarum genere, & quos  
potissimum castigare decreverit. Scio  
non defuturos (& ne nunc quidem de-  
funt) qui bella jam pridem (ante natum  
scilicet Cometam) consultata & inchoa-  
ta dicturi sunt à Cometa etiamnum ful-  
gente significata. Sed qui prudentes  
sunt, & intelligentes, veritatem menda-  
cio libenter preferent. Summa dictorum  
hæc est. Cometæ si sunt signa naturalia  
bellorum, ruinæ imperiorum, excidii ur-  
bium, interitus Principum, mutationis  
Religionum, &c. necessarium est, ut vel  
causæ jā dictarum rerum sint, vel effe-  
ctus, vel à communi causa efficiantur. At  
nullū ex his de eis verè dici potest: qua-  
re nullo pacto naturalia prædictarum  
rerum

rerum signa censeri possunt. Quid naturaliter significare soleant ac possint, expositum simul fuit. Reliquum igitur est, ut sint signa artificiosa: non humana quidem, sed divina. Et cum ex eorum genere sint, quorum specialis significatio nobis à Deo revelata non est, generali significatione ira Dei adversus peccata nostra accensæ contenti esse debemus. Quod si hoc pacto moniti resipiscemus, & ad Deum seriò convertemur, tum demum & iram Domini a nobis avertimus, & recte sancteq; de hoc portento ratiocinatos nos fuisse perspiciemus. Veram hanc de Cometarum significationibus sententiam nostram veris certisq; argumentis ex ipsa rei natura petitis confirmatam, cum refelli non posse quidam videant, carpere nihilominus audent, quasi aliquid magnoperè huc pertinens omissum sit. Etenim Cometas ajunt talia præmonstrare, non insitis in natura sua viribus, sed adventitiis: ut signa sint quodam modo artificiosa potius, quam pure naturalia. Etenim accipe-

cipere eos potestatem certi aliquid præ-indicandi ab illo sidere , à quo materia illa attracta sit, & recta. Quam futilis sit hæc reprehensio , planum fiet ex dicendis: si cui ex antedictis non liquet. Reprehensores isti perinde agunt, ac si credere ipsis teneremur dictitantibus , omnes Cometas vel comam , vel barbam, vel caudam , certò alicui sideri vel stellæ facere: quo tamen falsius vix dici aliquid potest. Et si enim hoc aliquando factum scribitur, plerunq; tamen Cometæ per se consistunt, à sidere nullo reguntur. Cum sideri comam faciunt , cum eodem motentur, oriuntur, occidunt, circumaguntur: cum per se consistunt, incerto admodum motu feruntur, sursum , deorsum, antrorsum, retrorsum, ad latera, &c. Quod si in eo, quietiamnum appareat, licet obscure ( nondum enim ex toto absumpta est eius materia) non viderunt, tolerabiles fortasse sint: si viderunt & dissimulant, aperte maliciam suam prodūt. Falsum non minus est illud etiam , quod tanquam verum & confessum inscite sibi

sibi sumunt, sidus aut stellam aliquam, virtute hac præditam, ut præindicare mortem Principis alicujus (exempli causa) possit. Quod si illis daremus, nihilo minus incertum materet, an haric suam virtutem per Cometam magis, quam per alia exereret. Quid enim habet Cometa; propter quod aere ac meteoris aliis ignitis aptior & habilior censeri possit ad recipiendum influxum hujus significacionis? si materiam spectes, nihil invenies. Si flammarum consideres, incasum hic quoq; laborabis.

Summatim repetam omnia, & finem faciam. Stellæ omnes sunt causæ universalissimæ, sed particularibus istis facultatibus præditæ non sunt. Si etiam talibus ornatæ fuissent potestatibus, transfundere in res alias non possent: quod alibi argumentis insolubilibus demonstravimus. Halituum quoq; causæ non sunt sola sidera, sed multò magis calor in terræ visceribus conclusus, qui sic ferre subterranea movet, alterat, coquit, mutat, extenuat, in vaporem fumumq;

ver-

verfit, quomodo calor animalium in visceribus insitus facit. Nec apta est exspiratio hæc de terra surgens, quæ significations recipiat. Cum enim sit naturale corpus, supra naturam indicare nil potest, nisi à substantia intelligente ad id destinata cogitetur. Postremo certissimum est, plerosq; omnes Cometas, in star hujus, qui nondum est omnino disolutus, sideri aut stellæ nulli appendi, sed tum suo, tum supremi aeris motu imperuq; ferri. Quocirca impossibile est, quod isti somniant, Cometas vires tales à certo sidere, à quo materia sursum tracta sit, mutuari. *Die 6. Ianuarii 78.*

F I N I S,

ELIAS

ELIÆ MAIORIS VRA-  
TISLAVIENSIS

ΠΑΡΑΔΟΞΟΝ

ὅτι

Ἐδεὶς κομήτης, ὃς εἰς Ἐκάγα-  
θὸν Φέρει.

ELIA MAIORIS

ΠΑΡΑΔΟΞΟΝ

ΟΤΙ

Ἐδεὶς κομῆτης, οὐκέ τις ἔκαγα-  
θὸν Φερει.

**D**E Pythagoræ Samii singulari sapientia non Ovidii solum, sed totius vetustatis id judicium fuit, quod in Poetæ illius libro Transformationum ultimo legere est. Namq; is

- - - licet cæli regione remotus  
Mente deos adiit; & quæ natura negabat  
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.

Ac ut sexcenta alia taceam, quis est, qui nesciat, tanti fuisse habitas ipsius sententias, quas *Symbola* dixerunt, ut priscis illis oraculorum instar celebrarentur? De quibus quemadmodum videri possunt authores præstantissimi, qui eadem sym-

H                   bola

bola exposuerunt, *Plutarchus*, *Clemens Alexandrinus*, *Divus Hieronymus*, *Philo Iudæus*, *Erasmus Roterodamus*, & *Lilius Gregorius Gyralaus*: ita non possum facere, quin de *Cometarum significazione* @<sup>αστροφύσης</sup>, quod præscripsi, tractaturus, in ipso vestibulo, ex iis sententiis eam adducam, quæ maximè sit accommoda præsenti instituto. Quænam verò illa? λεωφόρες μη βαδίζειν, dixit *divinus ille senex*; quod si interpreteris, ista emerget oratio: *Per viam regiam ne vadito.* Mirabile præceptum, & propè ridiculum, si externum hunc verborum, ut sic dicam, corticem quis intueatur. Salubre vero monitum, & cum recondita quadam sapientia conjunctum, si ad ipsam sententię quasi medullam nos penetremus. Id enim voluit *Pythagoras*, utendum esse in æstimandis rebus judicio, nec ideo quid probandum aut rejiciendum, quod vulgatis hominum opinio, idem vel probet, vel rejiciat; quin potius, si ab angusta illa veritatis semita vulgus exorbitet, & in latam errorum viam turpiter deflectat; absq; metu,

metu, absq; adulatio[n]e recedendum esse  
ab eā, quæ

tuta frequensq; licet sit via, crimen habet.

Nolite enim, ut divinis Scaligeri verbis h[ic] dicam, existimare, quicquam esse pestilentius humano generi, quam populares persuasiones; quippe quæ & constantes animos interdum labefactant, & simpliciores irretitos occupant vana spe temeraria credulitatis. Ejusmodi verò opinionem (non enim prius errorem dīcam, quām id convicero verum esse, quod à communi sententia est remotissimum) eam puto, quā non à promiscuā tantum multitudine, sed & à viris alias doctis ac sapientibus creditur, scribitur certè & dicitur, Cometa-rum flamمام non nisi DEI ira ardente, accendi, proindeque tristia quæque portendere, qualia sunt, magnorum Regum Principumq; obitus, tumultus bellici, regnorum eversio, religionis mutatio. Qui quidem boni, ut arbitror, viri, si tam patienter audire me velint de hoc genere breviter, simpliciterq; disserētem, quam

humaniter ego ipsis à mea mente dissentientibus ignosco; non nescius, verum esse, quod ille dixit; errorem in homine calumniari est toti mortalitati convicium facere: efficiam profecto, ut vel se non - optimè hac in re sensisse, vel me de eadem re non - pesime sentire, intelligent.

Atq; ut dilucidius appareat, quid in controversia sit, cum *de Cometarum significationibus* hīc agetur, repetenda est ex disputationibus meteorologicis signatorum, aut, ut quidam appellant, effectorum Comeræ distinctio. Id enim quod portendit vel generat cincinnata stellā, aut naturæ rationibus est consentaneum, atq; ad ordinariam DEI viam pertinet, & aut naturæ limites quasi transcendent, & ad superiorem quandam, eandemque extraordinariam Numinis potestatem refertur. *Quod prioris generis est, Physicum vocant, dicentes, Cometam siccitates, & aëris squalores, aere terraq; per fumos exsiccatis; ventos, ratione siccorum halitum in aerem sparsum; sterilitates & famem, propter exustam terram; morbosq; tandem pestiferos, ob humidi radi-*

radicalis incensionem, portendere. Quod posterioris generis est, hyperphyticum appellant; quod pertinent ea mala, quæ suprà commemoravimus, mortes Principum, bella, imperiorum translationes, alia. Quæ res quod naturali quadam ratione à Cometa dependeant, qui demonstrare conati sunt, næ illi non modo ex arena funiculum nexuerunt, sed & malam gratiam apud Scaligerum, at quantum virum, quamq; acrem & subtilem in dijudicandis talibus! inierunt. Relinquitur ergo si incommoda ista à crinitis sideribus præsignificantur, fieri id modo quodam, qui naturæ terminos, ut diximus, excebat. Duabus igitur portentorum velut classibus constitutis, dicendum porro est, utro de genere in præsens disputare decreverimus. Ac quod siccitatem, quod ventos, quod cætera attinet, in quibus ille nexus, quem inter causam, & inter id, quod ex causa producitur, ipsa naturæ lex instituit, dari huc unq; posse putatur; non sumus ii, qui his de rebus litem ulli nunc moveamus. Regum vero funera,

urbium cadavera, regnum ruinas, reliquaq; quæ his cognata sunt, qui Cometis quoquomodo assignant, ab eorum sententia prorsus ~~en~~ Alauétes, quod ajunt, dissidemus: *hæc ipsi erit nostra Rhodus, hæc saltatio*, aut verius disputatio. De cuius disputationis modo etiam, sive, ut in Scholis nominamus, formâ, hîc quædam adjicerem, nisi tituli ipsius oculiferium de ea manifestò satis moneret. Est enim ~~αρχέροξ~~ sive, quæ Ciceronis interpreta-  
tio est, *argumentum mirabile, & contra omnium opinionem*. Quæ vero opinio mortali-  
um prope omnium animos ita invasit,  
atq; ea, qua,

--- nunquam spectatum impune Cometam  
arbitrantur? Adeo enim invaluit hæc co-  
gitatib, ut quandocunq; talem quam-  
piam lampada in sublimi scintillare, vel  
videmus, vel audimus, nil nisi clades ma-  
ximas, rerum cunctarum naufragia, ani-  
mo plerique concipiamus, arbitrantes  
nimirūm, *Superos bellum adversus mortales*  
*decernere, cujus facialis sit Cometes*. Ac istius  
trepidationis & formidinis causa est, nō  
in-

instinctus aliquis naturæ, occulte veluti  
monentis, has flammæ multum incom-  
modorum importaturas sed animus mi-  
nus rectè informatus. Quando enim à  
prima usq; ætate de his ignibus nil aliud  
nobis dicitur, nisi indices eos esse malo-  
rum maximorum: quid mirum, si ad illo-  
rum mentionem, magis vero ad conspe-  
ctum, hoc contingat, quod in versu di-  
citur;

*Stat coma, mens horret, flet gena, dextra riget?*  
Tanta scilicet vis est eorum, quæ ab iis  
annis, quibus intelligentia nostra uti  
paulatim incepimus, mentibus impressa  
sunt: dissere, omnesq; artes demonstran-  
di ac persuadendi adhibe; hærebunt illa,  
nec facile ullis cedent rationibus. Sed  
ut erantium multitudo, quod dicitur, errori  
non parit patrocinium: ita sententia aliqua  
non ideo vera est, quia plures, immò o-  
mnes eam amplexantur. *Opinio enim non*  
*efficit res;* ait subtilitatum præceptor Sca-  
liger.

Sed his omissis *περὶ κομητῶν* ipsum videa-  
mus, in quo probandum fuerit, Cometarū

ortus atq; apparentias humano generi sa-  
lutares esse. Quia in re sequemur Astro-  
logos , & si qui alii mundum hunc suis  
territaverunt vaticiniis , quoties sidus  
aliquot ejusmodi in alto conspectum fu-  
it. Quid enim hi, ut fides habeatur sibi  
mala omnia ominatibus, afferre possunt  
splendidius , quam ipsam experientiam,  
quæ omnibus seculis docuerit, non exsti-  
tisse unquam hæc in coelo incendia, quin  
terris varia clodium exitiorumq; genera  
parata fuerint? Hinc illa sunt exempla,  
hinc magno numero collectæ historiæ  
morientium Principum, ditionum bellis  
eversarum, religionis periclitantis , aut  
naufragium jam facientis : ex quibus o-  
mnibus Cometarum funestam efficaci-  
am tam arbitrantur videri posse, quam  
ea cernimus, quæ videmus oculis. Ego  
verò quanquam scio , quantum in hoc  
argumento sit virium, pedibusq; eo insen-  
tiam, quam ante ipsos XL. annos trium  
Impp. Consiliarius Clarissimus , Andreas  
Duditius, in senatu, ut sic loquar, orbis litterati, dixit: pariabo tamen istorum homi-  
num

num studium, & ex quo fonte illi turbidam erronearum opinionum aquam haustam hominum animis non instillarunt, sed infuderunt, ex eodem ea derivare verborum flumina conabor, quæ tām illætabili opinioni sint diluendæ aut expurgandæ.

Ac quia illustrium personarum familiarumque interitum coelestibus illis faculis prænotari putant, probabō initio velut contentionē quadam, quia Cometæ aut comitantur, aut è vestigio consequuntur, Cæsarum, Regum, Principumq; nativitates, bona potius eos, quām mala portendere. Si enim mors, qua è mundi hujus suavissimi domicilio deportantur viri clari ac præpotentes, mala est; primus eorundem ortus & in vitam introitus, bonus sit, necessum est. Atqui exempla heroum ac Principum ejusmodi, qui Cometis lucentibus, lucem vitæ amabilem primitiis aspexerunt, multis partibus plura in promptu sunt, quam ut in hac chartæ parvitate enumerari queant omnia. Ex quibus exemplis cumjam

jam pauca aliquot in medium prolatu-  
rus sim, ab eo exordiar, in quo clarissimè  
appareat, jam olim obseruatum esse, ma-  
ximorum hominum incunabula Cometarum  
radiis illustrari solere. Iustinus  
enim historicus cum de Mithridate Rege,  
Ponti præfaretur, hujus eam postea magnitu-  
dinem fuisse, ut non sui tantum temporis, verum  
etiam superioris etatis omnes Reges majestate su-  
peraverit, bellaq; cum Romanis per XLVI. annos  
varia victoria gesserit: que summi Imperatores  
Sull., Lucullus, ceteriq;, in summa Cn. Pompeius  
ita vicerint, ut major clariarq; resurgeret in re-  
staurando prælio, dampnusq; suis terribilior red-  
deretur: hæc subjicit: Hujus futuram magni-  
tudinem etiam cœlestia ostenta praæixerunt.  
Nam & quo genitus est anno, & co, quo regna-  
re primum cœpit, stella Cometes per utrumq;  
tempus LXX. diebus ita luxit, ut cœlum omne  
conflagrare videretur. Nam & magnitudine  
sui quartam partem cœli occupaverat, & fulgo-  
res sui solis nitorem vicerat, & cum oriretur og-  
gumeretq;, quatuor spaciū horarum consumme-  
bat. Hæc Iustinus, cui, miror, si non  
successeant Astrologi; ad eò ipsis obloquiu-  
tor

tore est. Sed recentiores afferamus historias, in quibus familia eæ ducant merito, quæ *illusterrimā Domum Austriacam spe Etat;* quam domum quantum opere *supremus omnium monarcha DEUS dilexerit & diligit,* inde non obscurè potest conspici, quod *sacrum illud Quartæ Ultimæq; Romanoru Monarchie aīzīwua, penes hanc Archiducalē Propriam per ipsos CLXXXI. annos, non interrupta serie, ad hunc usque diem permanuit, permanebitq; cum DEO Magno volente, diutius: id quod uti optamus, ita & fore speramus, quod præclarè dictū à *Synesio scimus: εὐνοία μόνη καὶ μάλιστα βασιλεώς ἐστιν ιΧυρού Θυλακήρου: Benevolentia sola est firmissima Imperatoris custodia.* Clementiam autem eam virtutem esse, quæ *Austriacorum Principum* propria quasi cœseatur esse, si nesciremus, docere nos posset, fortissimus pariter ac prudentissimus vir *Guilielmus Brussius Scotus,* cuius hoc de *illusterrima hac Familia* in præloquio Consilii i*sui de bello adversus Turcas judicium exstat.* Sed ne nostra longius evagetur oratio, videamus *Ladislaum, Alberti Austriaci Imperatoris Filiam posthumum,* Ungar-*

Ungariæ, Bohemiæq; Regem, juventutis Principem, & cui DEUS & natura nihil negaverat, præter ævi longioris usuram: is verò anno cl<sup>o</sup> ccccxl. in lucem suscep-  
tus est, quem stellæ crinitæ fulgor præ-  
cesserat. Videamus *Maximilianum I.* Im-  
peratorem illum domi militiæq; lauda-  
tissimum;

*Cujus inexhaustas tentem si pangere laudes,*

*Tentem Pestanas enumerare rosas,*  
ut in Cæsaribus suis scripsit *Matthias Borbonius*. Hujus nativitas quamvis ob-  
scura esse non poterat, non tamen dubi-  
to, quin clarior reddenda fuerit a Come-  
ta illo, qui niente Iunio anni cl<sup>o</sup> cccclvi.  
eandem tricennio saltēm præcessit. Vi-  
deamus *Maximiliani istius Filium, Carolum*  
*illum F. Imperatorem, & regnum XXIX.*  
*Regem, cuius fama jam dudum ætatem se*  
*penetravit.*

*PLUS ULTRA Herculeas, Alpen Abi-  
lamq; columnas.*

An non hujus quoque magnitudinem,  
quæ in toto Christianorum orbe futura  
erat maxime conspicua, conspicuum il-  
lud

lud Cometæ lumen designavit, quod eo ipso anno quo nascebatur Carolus fuit autem annus Partus Virginæ cœlo ) ad septentrionem versus, sub coelesti illo sidere , quod ~~αστρονομικη παιδες~~ Capricornum vocitant, apparuit? Idq; eò magis credendum est, quod ejusdem Cometæ ignis aliorum quoq; potentissimorum Cæsarum, Regum, Electorum, Principum anteambulo fuerit. Anno enim primo post natus est Barnimus senior, Dux Pomeraniæ: anno altero, Otto Henricus Palatinus Rheni, Ruperti F. Elector, qui deinde in Ecclesiæ Palatinatûs sinceram Evangelii doctrinam reduxit: anno verò tertio in lucem editi sunt Ferdinandus Rom. Imperator & Cæsar Augustus; Christianus III. Daniae & Norvegiæ Rex, Dux Holsatiæ, Princeps sanctissimus; Iohannes Fridericus Dux Saxoniæ Elector, ille Ecclesiæ Nutritius, & Academiæ Witebergensis patronus incomparabilis; deniq; Philippus Bellicosus, Palatinus Rheni, Ottonis Henrici frater, qui in obsidione Turcica, anno

Do-

Domini clo Ixxxix. Viennam strenue defendit.

Sed videamus & alios *Gentis Austriacæ Archiduces*, quibus criniti sideris coma nascentibus affulsit. *Philippus* enim I. Hispaniarum Rex, & *Maximilianus* II. Imperator Rom. duorum Fratrum, *Caroli V.* & *Ferdinandi* Filii, anno clo lxxviii. jucundissimam hanc vitæ lucem primò intuiti sunt, quo ipso anno Cometa conspiciebatur; cuius fulgor Celsissimis Illustrissimisq; personis usq; adeò non obfuit, ut & alii Principes tempestate illâ terrarum hunc orbem communi nascendi sorte ingredi potuerint. Eodem n. quem nominavi anno *Johannes Albertus*, Dux Megapolensis in lucem editus est; anno autem uno post, *Albertus* Dux Bavariæ, *Ericus* Dux Brunsuicensis, & *Huldericus* Dux Megapolensis. Altero deniq; anno *Ferdinandus* Archidux Austriæ, Ferdinandi Imperatoris F. progenitus est.

Defatigor propè commemorandis tot nominibus; facere tamen non possum, quin plura accumulem, ut appareat ma-

ni-

nifestius non sat commode sentire eos, qui Cometas εἰς τωτηγίαν τῶν βασιλέων πολεμιώτατος (salati Regum infensissimos) statunt. Nam si astrahæc erinita, ut hostes quidam ασπονδοι, omnem vim suam in personas principales conferunt, quod illi credunt, & credi volunt; quā sit, at tot Regibus, tot Dynastis, tot Ducibus, vitam aut ingredientibus, aut ingressuīs propediem, præsto fuerint? An ideo nascentibus apparent, ut natos postea jugulent? Crudele est tantam crudelitatem tam adspectabili, tamq; pulcro meteoro adsignare. Sed pergam. Anno Salutis restitutæ cū lxxxix. & cū lxxxix. duo Cometæ, alter in Piscium, alter in Tauri constellatione visi sunt. At & hac tempestate, parens natura, vivendi primordium dedit Clarissimis Magnatibus. Anno enīm, qui proximus posterioris Cometæ monstrum, secutus est, nascebatur Viennæ Carolus Archidux Austriæ, Ferdinandi Imperatoris Filius, Ferdinandi Ungariæ Bohemiaeque Regis, Domini nostri Clementissimi

Pater: nascebatur *Johannes Sigismundus*, Io-  
hannis Ungariæ Regis F. Weivoda Trans-  
sylvaniae: nascebatur *Magnus*, Christiani  
III. Danorum Regis F. Holsatiæ Dux, &  
Episcopus Orpatensis in Livonia. Ipso  
vero anno, quo prior ille Cometes flam-  
miferum crinem terris ostentabat, in luce  
susceptus est, *Sigismundus* Marchio Bran-  
denburgensis, Ioachimi II. Electoris F. Ar-  
chiepiscopus Magdeb. cuius serenissimo  
nomini Chronicon Carionis à Philippo  
Melanchthonе inscriptum est. Nec  
posterioris Cometæ annus magnorum  
Principum genitali principio non insi-  
gnitus est. In illo enim nati sunt *Ludo-  
vicus Friderici III. Electoris F. Palatinus*  
*Rheni*, idemq; Elector: & *Georgius Fridericus*  
Marchio Brandenburgensis, piissi-  
mi Principis Georgii Marchionis Fili-  
us. Quibus vero verbis illud Cometæ si-  
dus salutabo, quod anni supra millesi-  
mū quingentesimi quinquagesimi sexti  
mense Martio conspectum fuit? Hic e-  
nīm, hic Cometes, ut præcursor quidam  
celsis simus ac illustrissimus præcessit na-  
tivi-

tivitatem Invictissimi & Potentissimi Romanorum Imperatoris semper Augusti &c. D. MATTHIÆ II. qui cùm hoc ipso die, quo hæc scribo, annum etatis secundum & sexagesimum claudit, DEUM OPT. MAX. meo etiam, humili quantumvis loco, animitus veneror; ut Ejusdem Cæsaream ac Regiam Majestatem non modo ea felicitate florentem efficiat, quæ olim Augusto Cæsari, illi tum aliis nominibus, tum quod templum Iani clausit, celeberrimo, obtigit: de qua felicitate idem optimus Imperator apud Noctium Atticarum scriptorem ita loquitur: οὐλημαντῆρι communem seniorum omnium tertium & sexagesimum annum evasimus: Deos autem oro, ut mihi quantumcunque superest temporis id salvis nobis traducere licet, in statu Reipub. felicissimo: verum etiam ut tempus hoc vitæ atq; imperii clementer extendat, &, quod Imperatoribus quondam acclamatum, vel de nostris annis EIDEM annos augeat; quo tum ob salutem solariumque Ecclesiæ, tum ob decus Romani imperii, tum ob emolumenta publica

*Iliacos aquare sènes, aut vincere possit.*

Repræsentat nobis hoc votum DEUS, si  
mulq; & nostro, & posteritatis ocio con-  
sulito!

*Una salus PACI; BELLVM, te spernimus omnes.  
Verum ut ex diverticulo hoc, in quod ju-  
sta pietas, & pia reverentia, & reverens  
oboediæ, erga summum nostrum in his ter-  
ris Magistratum, & Cæarem Clementissimum,  
calami hujus quasi gressum abduxit, in-  
scriptionis viam redeam; pferri possunt  
& alia, eaq; itidem pulcherrima potentis-  
simorum hominum exempla, qui dulcis-  
simam hujus vitæ auram iis primo ca-  
ptarunt temporibus, quibus populi  
viderunt clara tremulos ardore Cometas.*

*Nā iis ipsis annis, quibus stellæ huiuscæ-  
modi observatæ fuerunt in coelo hoc, na-  
ti sunt viri isti & Principes Magni. Pri-  
mum Anno cl̄o ccccxxxiii. Carolus Burgun-  
dia Dux, Caroli V. Imperatoris proavus;  
qui, quod esset*

*κυδαλίμοισιν αγαλλόμενος πολέμοισιν, (glo-  
riosus bellis inclutus)*

*Bellaror dicitur fuit. Deinde An. cl̄o cccclvi.  
Ula-*

Uladislaus, Casimiri Poloniæ Regis Filius primogenitus, Rex Ungariæ & Bohemiæ, qui Principibus atq; Ordinibus Silesiæ, augustum illud *Privilegium*, quod *commune* appellit antq; quo inter cætera de supremâ hujus regionis præfecturâ nemini, nisi indigenæ Principi concedenda cavetur, clementissimè irrogavit; Rex ob multas virtutes, in primisq; ob studiū pacis laudatissimus: nam & cum è leæto surgeret, & cum quieti se traderet, precibus illis in Ecclesiâ usitatis immortalem D E U M veneratus est, quarum summa in hoc comprehensa est carmine:

*Tranquillam pacem, alme D E V S, te poscimus omnes,*

*Tempore que nostro qualibet arva colat.*

*Quandoquidē non ullū aliū, te prater, habēmus,*

*Pro trepidis pugnans, qui mage stare queat.*

Nati etiam sunt uno eodemq; *Hagranis Cometæ anno Iohannes Weivoda Transylvaniæ, postea Rex Ungariæ: & duos Alberti Marchiones Brandenburgenses; alter Iohānis Electoris F. Ioachimi II. Electoris Frater, ipse etiā Elector & Archidia-*

piscopus Moguntinus & Cardinalis, O-  
rator incredibili pollens eloquentia, qua  
etiam pacem inter dissidentes imperii  
proceres suasit & confecit: alter Friderici  
Onolsbacensis F. Borussiæ dux primus,  
idemq; optimus ac potentissimus, ut re-  
statur *Caselius in Epistolis.* Sed ne incre-  
mentis nimiis hæc crescat oratio , quæ  
hoc in genere restant , nuda duntaxat  
verborum commemoratione, & quasi ca-  
talogo quodam indicabo Anni enim ,  
qui in superioris mundi partibus Co-  
metas videre rutilantes, iidem in inferio-  
re hac natura Principes ac Reges illu-  
strissimos videre nascentes , ( Ann.  
cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> vi.) *Ludovicum* Ungariæ Regem;  
(An. cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> xxxiii.) *Ericum* Gostavi F. Sue-  
ciæ Regem; *Henricum*, Ernesti F. Ducem  
Lunæburgensem; *Albertum*, Iohannis  
Alberti F. Ducem Megapolensem; (An.  
cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> LVI.) *Maximilianum*, Christophori  
F. Ducem Wirtenbergensem. Annis ve-  
ro proxime sequentibus crinitorum si-  
derum apparitiones , in lucem prodie-  
runt, (Ann. cl<sup>o</sup> CCCCLXXIII.) *Henricus*

Pius

*Pius* Dux Saxonie, *Alberti* Animosi F. duorum Electorum Mauritii & Augusti pater; (An. cl<sup>o</sup> ccccxc<sup>o</sup>.) *Henricus VIII.* Angliae Rex, qui Pontifici Romano tributum annum, quod Petri nummum vocant, denegavit, & ab eo cum toto regno defecit: (Ann. cl<sup>o</sup> I<sup>o</sup>vii.) *Georgius Princeps Anhaltinus, Præpositus Magdeburgensis & Misnensis;* (An. cl<sup>o</sup> I<sup>o</sup>xxxviii.) *Albertus Wilhelmi Senioris F.* Bavariae Dux, *Ferdinandi Imperatoris gener;* *Erichus junior* Dux Brunsvicensis; *Udalricus Alberti F.* Dux Megapolensis, Episcopus Suerinensis, *Germaniae* (sic enim appellat *Christophorus Sturtzus Ictus*) *Nestor;* (An. cl<sup>o</sup> I<sup>o</sup>xxxii.) *Fridericus Ernesti F.* Dux Lunæburgensis; *Wilhelmus Hassia Landgravius,* Mauritii Herois arte pariter & Marte Clarissimi Pares; (An. cl<sup>o</sup> I<sup>o</sup>xxxiv) *Fridericus II.* Christiani III. F. Daniæ & Nortvegiæ Rex; *Carolus Ichannis F.* Princeps Anhaltinus.

*Non mihi si lingue centum sint, oraq<sup>e</sup> centum  
Ferrea vox, possem percurrere singula Re-  
gum*

*Nominam magnorum, quorum incunabula  
quendam*

*Illustres prodromos, comites ut habuere Co-  
metas.*

Prolixior fui in genituris & partitionibus principalium personarum recensendis. Videbam enim plurimorum exemplorum opus esse arietibus, si expugnanda foret illorum hominū opinio omni muro firmior, qui Regibus ac magistratibus Cometarum jubar timendum esse arbitrantur. Quod si quis copiam istam molestè tulit, is hac econtra oblectetur speculā, fore me in sequentibus breviorem. Quæ enim eodem poteram modo, & verbis efferre pluribus, & exemplis augere propè innumeris, ea paucis comprehen- dam, & lectorem meum (si quis tamen)

*Historia breviore manu per singula ducam.*

Atq; ii quidem, qui Cometas eodem pro- pè loco habent, quo veteres illi *negros* *theses*, quos *Hesychius deos* vocat, signorum ac prodigiorum effectores; cùm alia afferunt, quibus terrorem incutiant hominum animis; cùm discordias magnatum, sedi-  
tio-

tiones, tumultus, & tantum non orbis excidium. Quotus quisq; enim est ex iis, qui, conspecta cincinnati astri flamma, non exclamet illud confestim, quod paucis verbis mutatis est apud Poëtarum principem?

*Nunc curva rigidum falces vertentur inensem.  
Hinc geret Euphrates, illinc Germania bellum,  
Vicinæ ruptis inter se legibus urbes.*

*Arma ferent, totog; furet Mars impius orbe.*  
Quas prædicti ðes et si scio tales esse, quæ omni fundamento veritatis careant; veræ tamen, per me licet, habeantur, nisi ex rerum gestarum commentariis contrarium credendum esse, tam evidenter demonstravero, quam certum est, Cometam superioris anni supra caput nostrū, non subter pedes luxisse. Id vero, ut promisi, faciā stilo Laconico. Anno igitur virginēi partūs cl<sup>o</sup> cccv. bello illi, quod gravissimum Galli cu Flandrorū populo gesserunt, tanta strage in uno cōflictu edita, ut duo Reges Hispani, & præstatis simi quiq; ex nobilitate Gallica ceciderint, quoru post præliu inveta sunt aurata

calcaria locc. finis impositus, & pax sancta est. *Anno clo ccccL XXV.* Silesia nostra respirare cepit a bello illo, quo vix in his regionibus aut majus, aut celebrius gestum est; quandoquidem tres potentissimi Reges, *Matthias Ungarus, Casimirus Polonus, & Vladislaus Bohemus*, urbem Vratilsaviam obsederant. Hoc igitur anno non modo nostram patriam tranquillior quida status respexit, sed & inter Ungaros ac Bohemos pax confirmata fuit. *Eodem anno* bellum civile Caroli Ducis Burgundiæ, aliorumq; Galliæ pcerum, contra Ludovicum XI. Galliæ Regem compositum, & amicitia inter hos magnates contracta, novem annorum foedus ictum est. *Anno clo ccccxc.* Matthias Rex Ungariæ & Bohemiæ, cum Principe Saxoniæ, & Marchione Brandenburgico, contra quos exercitum e Silesia emiserat, in gratiam rediit. *Anno clo lxxxij.* Ferdinandus Austriae Archidux creator Rex Romanorum, qui quantopere tranquillitati Germanię profuerit, nunquam satis dici potest. Ipsius enim industria & regiis plane au-  
spi-

spiciis sanctum est, ut Passavie, solenni illa transactione' pax Augustanam, quam vocant, Confessionem amplecteribns promitteretur: eamque cum postea Carolus V. Imperator fortissimus, Cæsarea clementia confirmaret, inita est illa nunquam satis laudata Religionis pacificatio, quæ non inscite Germaniae palladium dici potest, per quam hucusq; viguit, & in futurum vigebit sacrosancti imperii nostri Majestas, ut vere loquitur vir Præstantissimus pariter ac Doctissimus, amicus meus & fautor singularis, ante quadriennium etiam in Academia Witebergensi commensalis, Petrus Syringus ICtus, quem honoris causa, ut debedo, nomino. Anno clx Ixxxxix. Carolus V. Cæsar, & Franciscus I. Gallorum Rex ad Aquas mortuas, quod Galliæ Narbonensis oppidum est, conveniunt, ibiq; post alterum, quod inter ipsos, imperii Mediolanensis ergo, intercesserat bellum, rogatu Pauli Pontificis Rom. ad annos X. inducias inter se paciscuntur.

Atqui hi anni omnes, quos nominavi, & in quibus turbas & populorum dissidia, lata

læta pax, & bonus eventus secutus est,  
Cometas aspexerunt. Quod si jam eaetia  
ex historiis proferenda essent, quæ feli-  
citer, & ex sententia integrarum natio-  
num iis annis gesta fuerint, qui pone a-  
strorū crinitorū incendia subsecuti sunt;

--- prob! quæ mihi copia rerum  
Suppeteret; quanta me possem ostendere pompa  
Historie? ante diem componat vesper Olympo,  
quam recitem a Cagani Hunnorum Regis,  
cum Agilulpho Longobardo pacem; b-  
ejusdemq; Agilulphicum Romanis foedus;  
quam recensem c pacem inter Henricum  
Imperatore, & Paschalem Papam: quam d-  
ceruentum in hac Vratislavia Regū fortis-  
simorum, Jagellonis Poloni, & Wenceslai  
Bohemi, foedusq; & pacificatione, quam  
inibi inierunt, exprimā: quam e pacē inter  
Francos, Flandros, & Burgundos factam  
narrē: quam famicitiam Philippi Austriae Ar-  
chiducis, cū Gallorum Rege firmatā co-  
memorē: quam g Lubeccā urbem, & Daniæ  
Rege Iohanne, invicem reconciliatos di-  
ca: quam h Pace inter Reges Catholicū &  
Christianissimum Henricum constitutā

exponā: quam in pace inter Polonos & Moscos confectam eloquar: quam & deniq<sup>z</sup>, ut sexcentas omittam historias, pace inter Hispanum & Anglū ab hinc annis xv. sanctitam, de mostrem. Ipsas l*indicias*, quæ inter Romanum Imperatorem & Turcas ad annos xx. ab hinc xiii. annis, auspicio D. Rodolfi Cæsarū, confirmatae sunt, duobus annis Cometa ante significasse videri potest.

[Hæ pacificationes acciderunt annis 1595.

b 1598. c 1607. d 1604. e 1635. f 1601. g 1603.

h 1659. i 1682. k 1604. l 1606.]

Demonstravi hactenus Cometarum splendorem, nec Magnis Regibus, nec latis regionibus, esse noxiū: illis enim nascendi originem, his pacis dulcedinem afferre consuevit. Restat ut idem de Religionis fidei que negocio probem: quandoquidem hanc etiam Æthiopis aëris tum versaturam multi opinantur, cum ignes illi, ut vocant, terribiles, in æthere conspiciti fuerint. Quorū equidem sententiā pluribus possem convellere, si institutū meū fieri hoc permitteret. Quis n. credat,

nisi

nisi inveteratis imbutus opinionibus, a Cometarum luce religionis caliginem portendi? Quæ enim h̄ic cognatio, quæ signi & signati (Scholasticis utor terminis) convenientia? Cere Cimmerius potius, immo Ägyptiacis tenebris, quam tam claris atque illultribus Cometarum facibus, fidei innuenda erat obscuratio. Sed nolo iterum argumentanti mihi fidem haberri, nisi ex illa eventuum proma condâ historia, indubitate exemplis rem declaravero pariter & comprobavero. Ostendam enim tum gentilium ad Christianam fidem conversionem, tum Ecclesiæ a nubilosis papatus umbris emersionem, luculentis, istorum siderum, de quibus agimus, radiis, non obscure adumbratam, sed manifesto prænunciatam fuisse. Anno Christi Ætwo-  
ðæwæs LXII fulsit Cometa: quo tempore Aruiragus Britanniæ Rex floruit, sub cuius imperio quamplurimi Britonum abjecta ethnicorum idololatriâ, religionem Christianam amplexi sunt. Anno Ixciv. alius Cometa luxit; circa id tempus Go-thi, paganismo abnegato in societatem

veræ

veræ Ecclesiæ recepti sunt.<sup>12</sup> Anno  
Iccccxlii. Cometa sub Aquarii alteri-  
smo conspectus est: tequente anno Bul-  
garorum populus inter eos nomina sua  
professus est, qui vero cultu DEUM Pa-  
trem, ipsiusq; Filium, Dominum ac Ma-  
gistrum nostrum, ambobusq; coeterum  
Spiritum venerantur. Anno cccvii.  
Cometa sane quam magnus apparuit:  
eodem tempore Pomerani idola, quæ co-  
luerant antea, reliquerunt, universiq; se  
ad unum verum Numen contulerunt.  
Non dubium est, quin in multis aliis po-  
pulis ad Christianæ doctrinæ lucem con-  
versis, idem monstrari possit, si quis hi-  
storias hoc nomine diligenter velit evol-  
vere. Sed nobis ca utendum est brevita-  
te, quam nobis ipsi prescripsimus; pre-  
sertim cum & hoc dicendum sit, repur-  
gationem Ecclesiæ ab his scindibus, quas  
illi Pontificum Romanorum superstitione  
asperserat, praenotatam Cometarum in-  
dicio fuisse. Quis enim ignorat, quam  
vehementer, immo & feliciter Papam  
impugnaverit Iohannes Husius? Ad hanc  
im-

impugnationem ipsi quatuor præcesserunt  
Comete, anno redemptorum a Christo  
hominum c<sup>lo</sup> cccc. & tribus sequenti-  
bus. Significabat nimirūm DEUS his  
ostentis, magnam lūcem paulò post in  
Ecclesiā discussis umbris, variisq; huma-  
norūm commentoruī nebulis, oritu-  
ram; cuius lucis prænunciæ fuerunt tor-  
in cœlo faces; quæ quia & plures, & di-  
verso tempore conspecte sunt, hoc etiam  
videtur innuisse, non unius hominis o-  
pera, nec uno tempore, rem illam fieri  
oportere. Proinde etsi anserem istam (sic  
enim Husius ipse se vocabat) satis vigi-  
lem, & qui hostes Ecclesiæ in ipso Capitolio  
adesse, clamore vocali admonereret, flama-  
marum rabies absumpsit; fuere tamen  
subinde & alii, qui sacrarum litterarum  
facem, tanquam in caliginoso loco hominibus  
præluentes, papisticas tenebras paula-  
tim e cordibus removerent: donec cy-  
gnus ille Lutherus, divina voce suavisimo-  
que cantu universum propè mundum  
in veræ religionis luce instrueret. A quo

Lu-

Luthero suscepta reformatio  
Anno  
cl<sup>o</sup> I<sup>xvii</sup>. quia velut media posita est  
inter duos Cometas, quorum alter qua-  
si decennio præcedit, alter decennio  
eandem sequitur; quis dubiter, hanc  
ipsam innumerorum illuminationem  
hominum hoc pacto coelitus ostentatam  
fuisse? cum præsertim hoc ipsum con-  
firmatura sint, quæ nunc adjiciam. Quid  
enim aliud rebus humanis portendunt  
existimabimus quinq<sup>u</sup>; illos Cometas, qui duo-  
decim annorum spacio, ab anno scilicet  
cl<sup>o</sup> I<sup>xxxvii</sup>. ad cl<sup>o</sup> I<sup>xxxix</sup>. spe-  
ctaculum sublime & illustre mundo  
præbuerunt, nisi lucem Evangelii ple-  
ne jubare, multis in urbibus & popu-  
lis dispergendar? Hoc enim ipso  
tempore e retro sacræ illius Babylo-  
nis carcere in cœlestis Hierosolymæ  
lucidum domicilium exierunt, abje-  
ctisq; superstitionibus, cœlestiū dogma-  
tū salubrem veritatem apprehenderunt  
Ecclesiæ Saxonicae, Anglicæ, Pomerani-  
æ, Misnicæ, Brandenburgenses, aliæ:

Con-

Confessio etiam Augustana, invictissimo Imperatori Carolo V. exhibita; prima præterea pax religionis, quæ a sanctissimis vatibus *Esaia & Micha* prædicta olim fuerat divinitus, in imperio Romano sancita est: denique *Germanicorum Lutheri Bibliorum* publicatio & copta & absoluta est. *Quod opus* (verba sunt Balthasaris Mencii) translationis ex *Hebreis & Græcis fontibus* in linguam vernaculam nullius hominis oratione, immo ne angelorum quidem linguis, satis dignè unquam celebrari potest, adeo, ut si nihil aliud hoc seculo Witebergæ in causa religionis præstitum fuisse, illud vel solum triumphum sibi festumq; diem suo jure deponceret. *Quod etiam à Reverendo Doctore Iohanne Bugenhagio Pomerano Ecclesiæ Witebergensis Pastore factitatum scimus.* Is enim singulis annis eo die, quo absolutum opus fuerat, amicos solenni convivio excipere, & quasi natalem translationis Bibliorum celebrare solitus fuit; diem illum festum translationis Bibliorum indigitans. Hactenùs Mencius. Multahic prætereo, unico adhuc contentus exēplo illius Cometæ, qui anno cl<sup>o</sup> lccvii.

appa-

apparuit. Biennio enim post divinæ Majestatis beneficio Invictissimus Imperator Romanus, D. Rodolphus II. Silesia nostra non solum exercitium Religionis Augustanæ Confessionis liberum esse clementissimo edicto (*litteras Majestatis nostri vocant*) voluit; sed & multa alia plane Cæsarea beneficia de templis, scholis, cæmiteriis, confistorio itidem erigendis obtulit. Quem incredibilem æterna memoria digni Cæsar is favorem, quia patria nostra non nisi a divino munere profectum esse censuit; solemni ritu ante annos I X. & quod excurrexit, eidem benignissimo Numinis publice *suxaçis rega* hoc nomine persolvit, cantato in templis hymno, TE DEUM LAUDAMUS, turribus vero Musicâ harmonica, quam tum humani gutturis, tum inanimorum organorum voces exprimebant, dulciter resonantibus. Quoties igitur memoria repetemus (debet autem id fieri saepissime) hoc beneficium, quo Mens illa im-

mortalis ac præpotens *Silesiæ* *huic*, vix  
majus in hoc tempore largiri poterat;  
quam etiam assiduis nos venerari preci-  
bus verum est, ut hanc felicitatem re-  
gioni patriæ sartam & tectam, ut ajunt,  
ab omnique incommodo & detimento  
sinceram integrumque conservet: to-  
ties meminerimus Cometen illum bi-  
ennio, ut diximus, antecessum non fu-  
isse irritum mundi spectaculum, nec  
eiusmodi, quod cladem veræ religioni  
vel portenderit, vel attulerit. Quin po-  
tius cum ex allatis historiis, quibus plu-  
res aliæ afferre poterant, cognoverimus,  
comatorum siderum ignes cum divino-  
rum cultuum vel illustratione, vel con-  
firmatione conjunctos fuisse; intelliga-  
mus eosdem etiam litteris & scholis fui-  
se maximè accommodatos. Id enim ob-  
servasse mihi visus sum, celeberrimas  
Academias, & nobilissima orbis terra-  
rum Gymnasia fundata & constituta  
iis fuisse annis, quos Cometæ vel ipsos  
illustrarunt, vel exigua præcessere tem-  
poris

poris intercedente. Quam rem si ex alto instituerem repetere, ostenderem hoc, quod dixi, in istiusmodi studiorum officinis clarissimis, recenseremque *Aurelianensem*, *Cracoviensem*, *Herbipolensem*, *Salmanticensem*, *Gryphisvvaldianam*, *Basileensem*, *Ingolstadianam*, *Tubingensem*, *Witebergensem*, *Francofuridianam*, *Argeniinensem*, *Hafniensem*, *Rhemensem*, *Franckeranam*, *Gifsensem*, & quas non Academias? Sed id usque adeo non puto esse necessarium, ut verear potius, ne si plus verborum faciam, merito is videar, qui Solem meridiem lucere, operose demonstrare contendam. Revera enim confirmata sententia, perspectaque veritate, commemoratio historiarum plurium supervacanea est.



---

## LECTORIS.

**A**Bsolvi meum παρεγόρεον; de cuius  
Ascopo cur quid ante moneam te,  
quām scribendi pausam faciam, cau-  
fas habeo. Arbitrantur enim mul-  
ti, si ab opinione inveteratâ, quæ  
Cometas malorum *Iliada*, apportare  
censem, discessum fuerit, fenestram  
aperiri ad alendam impiam homi-  
num securitatem, præscindi etiam  
Theologis facultatem auditores suos  
ad vitæ emendationem cohortandi.  
Ego verò impius nec esse debeo, nec  
videri volo: & malè mihi sit, si secu-  
ritatis Præceptor sum, si obsto, quo  
minus à vitiis resipiscant, & quasi re-  
viviscant homines! Atqui hæc ma-  
la, inquiet quis, ex tuæ opinionis ra-  
dice

dice pullulant. Id vero prohibeat Numen. Alia mihi mens. quam ut videoas, finem hujus scriptionis, quæso te, examines. *Finis hic est.* Qui crinitas stellas damnorum prænuntias probare sat agunt, multa ex historiis exempla solent inducere. *cum bic Cometes, inquiunt, cum ille, cum alius arsit, tum hoc, tum illud, tum alia evenere in terrarum orbe incommoda.* Inde, quia nullus Cometes conspectus sit, quem non gravissimæ clades secutæ sint, omnem Cometen varia mala importare colligunt, non aliter atque *in Scholis omnia vina esse dulcia ratiocinari saltemus.* Habeat hæc argumentatio pondus vel maximum; non impedio: audiatur saltem & ista ratiocinatio: *Cum bic Cometes, cum ille, cum alius arsit, tum hoc, tum illud, tum alia*

*evenere in terrarum orbe commoda :*  
*inde quia nullus Cometes conspe-*  
*cetus est, quem non felicissimi exitus*  
*secuti sint, omnem Cometen varia*  
*bona importare collendum est.*  
*Quid respondent ? contradicunt aut*  
*dubitant ? ecce in ipso Paradoxo tot*  
*eventibus probavi, cincinnata illa*  
*astra annos antegressa esse fortuna-*  
*tissimos, ut negare amplius aut haesita-*  
*tare non debeant. Forte concedunt*  
*boc, sed reponunt quid fortius ? fieri*  
*nempe posse, ut Cometarum appa-*  
*ritionem sequantur bonorum vel*  
*φαυμονοιγαγγαεγ : ejus tamen felicita-*  
*tis Cometas nec causam, nec signum*  
*esse. Ut si quis immensum in agro*  
*thesaurum reperiat eo tempore,*  
*Quo Lunam involvit tellus ingenti-*  
*bus umbris,*

*Et vetat opposito lumine posse frui,*  
*for-*

fortunæ potius cuidam, occultiori,  
quam manifestæ illi obscurationi si-  
deris, inventionem istam adscriben-  
dum est. *Hoc igitur, quod dixi, re-*  
*ponunt?* Bonum factum! gaudeo mi-  
bi, ipsis gratulor, veritati gratias ago.  
Scilicethuc, ne errent, meo ibam pa-  
radoxo, ut eam responsonem ab ad-  
versariis extorquerem, qua omnes  
ipsorum historias, quas adducunt,  
possem convellere. Concedo igi-  
tur, concedamque semper, Cometas  
sæpenumero secutum fuisse malor-  
rum vel Oceanum: Sed repono ta-  
men fortius quid, reponamque sem-  
per, Cometam ejus infelicitatis nec  
causam, nec signum fuisse. Ut si Eu-  
clioni alicui aulla pecuniis plena au-  
feratur, solis laborantis tempore;  
non Eclipsi hæc ærumna, sed furum  
injuriæ adscribenda est. Summatim

dicam. *Cometas sequitur malum. Cometas sequitur bonum.* Jam autem trumque, aut neutrum, aut alterum tantum, à Cometa ita pendet, ut hic illud vel efficiat, vel significet: (id enim hic quidem nobis perinde sit) *Si utrumq; cur infelix tantum omen, & irati Numinis signum habetur Cometa?* *Si neutrum: rectè, & mecum ita censes, quicunque es.* *Si alterum tantum? aut bonum aut malum cum crinita stella connectatur, necessum fuerit.* Atqui de bono non concedis? de malo igitur probes. id vero si feceris, si demonstraveris, quod ex diversissimis quidem, unius tamen ejusdemque temporis eventibus, iumentum, qui mali sunt, ad Cometas referendi sint, bonis ad causas alias redactis: hoc, inquam, si tu demonstraveris, ego sententiam mutabo me-

meam , & ex Lipsio ita te serio allo-  
quar: Cecidisti me in meis castris , fa-  
teor: E aut triumphum de me cape, si  
perdis; aut civicam, si servas.

Plura pro paradoxo meo defenden-  
do, afferrem , nisi judicio rectè de re-  
bus sentientium fretus fore confide-  
rem, ut multi , qui quondam falsam  
opinionem acceperunt, à pristina sen-  
tentia desciscant, suasq; cogitationes  
ad veritatem ipsam aggregent. Hoc  
enim ut indubitatò sperem, adducor  
eorum exemplis , quibus jam olim  
*Duditianus commentarius* velut ocu-  
los aperuit, ut non modo se exerrasce,  
opmione propè omnibus communī  
abreptos deceptosque , viderint , sed  
& proprias sententias (ita loquitur  
*Scaliger*) deleverint, ad veritatis præ-  
sidium atque conservationem. Te-  
stem laudo *Justum Lipsium*, illum  
verè

verè antiquis moribus & doctrinâ hominem: is quid senserit & ante, & post, quam dictus commentarius lucem vidisset publicam, Epistolæ ipsius doceant. Anno clx lxxvi, ad Hieronymum Berchemium sic scribit:

*Cometam & nos per hos dies  
vidimus: immanem, dirum, & fa-  
cie haut sæpè usitata. Quid par-  
tendat, quæris? Chaldaeus non  
sum, nec signa cœli cognovi: tamen  
hoc verum novi*

Ἐδεὶς κομήτης, ὅς τις ἐ κακοῦ

Φέρει:

cui versui magis, quam Aristoteli  
credo, qui hæc talia ad causas for-  
tuitas refert & infernas, Quid  
tamen,

*tamen, aut quibus minetur, distin-  
cte novit ille*

*prudens futuri temporis arbiter:  
ego communiter, non referre eum  
aureum saeculum.*

Statuebat nimirūm tūm Lipsius,  
quod plerisq; de crinitorum siderum  
rationibus videbatur: quamvis id  
longè moderatiūs statuebat, quām  
vulgaris istud hominum consuevit fa-  
cere. Factum est hoc biennio præ-  
terpropter antē, quām librum suum de  
*Cometis* scriberet Duditius. qui ubi  
jam divulgatus, & à Lipsio perlectus  
erat, homini mens longe alia. Sic  
enim anno clo lɔ LXXXIV. ad Duditi-  
um suum scribit:

*Michaelem Brütum ex E-  
pistolis editis video tibi amicum,  
itemq;*

itemq; ex Præfatione ejus , quæ in  
judicio tuo de Cometis. quem libel-  
lum jam olim a vido legi , & cum  
fructu.

Ecce, cu fructu legit Lipsius hunc Com-  
mentarium Duditii. is vero fructus  
quoniam? agnovit nimirūm errorem,  
& abjecit; agnovit veritatem & suscep-  
pit : & ut uno quasi verbo fructum  
hunc exprimam , Vir incredibiliter sa-  
piens sapientior factus est ; siquidem  
verum est, quod de veritate dixit Phi-  
lostratus , ος φιλετηρα αληθειη . Hujus  
præclaro exemplo, lector benebole, tu  
quoq; si quem habes,

**Errorem Mitte,**  
**Veritatem Suscipe.**

Inscriptio Monumen-  
ti, quod ANDREÆ DUDITH,  
Vratislaviæ in templo Eli-  
zabethano posi-  
tum est.

---

D. O. M. S.

ANDREÆ DUDITH AB  
HOREHOVICZA

DOMINI IN SMIGLA,  
ANTIQUISS. PROSAPIA, VIR-  
TVTE SINGVLARI: ERVDI-  
TIONE MVLTIJVGA, DIVER-  
SISSIMARVM LINGVARVM  
EXCELLENTI COGNITIONE:  
PLVRIMARVMQVE ET MA-  
XIMARVM RERUM VSV VE-  
RE ILLUSTRI ET INCOM-  
PARABILI VIRO.

III.<sup>m</sup> IMPPP. FERDINA. I. MA-  
XIMILIAN. II. RVDOLPH. II.  
CONSILIARIO ET ORA-  
TORI PRIMARIO

SVM-


S V M M I S H O N O R I B . T V M S A-  
C R I S , T V M P R O F A N I S : L E G A-  
T I O N I B V S Q V E A M P L I S S . A P V D  
E X T E R O S R E G E S A C D Y N A-  
S T A S M A X I M A C V M L A V-  
D E P E R F V N C T O .

C A R I S S I M O O M N I B V S : A D V E R-  
S O N E M I N I : C V N C T I S A D-  
M I R A T I O N I .


M A R I T O E X O P T A T I S S I M O A T Q .  
D E S I D E R A T I S S O V O E T L I B E-  
R O R V M N O M I N E M V L T I S C V M  
L A C R V M I S P O S V I T E L I S A B E T H A  
E X I L L V S T R I E T A M P L I S S I M A  
S B O R O V I O R V M F A M I L I A  
O R I V N D A .

Q V Æ V T I N H A C V I T A C V M  
D V L C I S S O C O N I V G E P E R A N-  
N O S X . C O N I V N C T I S S I M E V I-  
X I T I T A N E M O R T V V M Q V I-  
D E M D E S E R E R E , S E D C V M E O -  
D E M I N E O D E M S E P V L -  
C R O Q V I E S C E R E  
V O L V I T .

1582











100 480 200

